W H Walke

DE FUNGO ARTICULARI

DISSERTATIO,

QVAM AD SUMMOS IN MEDICINA HONORES INTER PUBLICA SOLEMNIA OB ECCLESIAM ANTE TRECENTOS ANNOS APUD NOS REFORMATAM RITE OBTINENDOS PUBLICE DEFENDERE CONABITUR

AUTOR

Michael Djörup,

IN LEGIONE TORMENTARIORUM CHIRURGUS PRIMARIUS,

RESPONDENTE ORNATISSIMO

Claus Jacob Emil Hornemann,

CHIRURGIÆ ET MEDICINÆ CANDIDATO.

die XXXmo Septembris H. L. Q. S.

HAUNIAE MDCCCXXXVI.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA SCHIELLERUPII.

Dissertationem hanc Facultas Medica Hauniensis dignam censet, qvæ pro gradu Doctoris in Medicina publico examini subjiciatur.

O. L. Bang,

h. a. Decan. Fac. Med.

Conspectus.

Præfatio.

Facultas medica Universitatis Havniensis eo honore me dignata est, ut ad disputandum pro gradu Doctoris, inter publica sacri jubilæi gaudia, me benigne invitaverit. Talem honorem gratissimo, ut decet, animo accipiens vereor tamen, ne vires ad opus, qvod suscepi, rite perficiendum mihi deficiant. Ea vero signa humanitatis, qvæ facultas medica honestissima in tali honore deferendo mihi præstitit; et cujus illam non poeniteat velim, spem mihi qvoqve attulerunt, ut lectores hocce opusculum benevolenter excipiant, et semper memores sint, me pluribus occupationibus districtum fuisse, ita ut angustiæ temporis mihi concessi in labore, ut me oportuit, perficiendo mihi obstarent.

Morbum, qvem dissertatio tractat, ea propter eligebam, non, qvod credebam, me illum clarius, qvam jam antea factum est, illustrare posse, sed qvia pleræqve illius morbi descriptiones, qvæ nobis adsunt, tam male sibi congruere mihi videbantur, ut non nullius momenti esset, si dissertatio, qvæ tibi, lector benevole! jam offertur, ad morbum apertius explicandum, etiamsi parum, tamen aliqvantum valeret. Qvousqve consilium, mihi propositum, perfecerim, peritiorum erit æstimare.

Introductio.

Pauci modo morbi externi sunt, in qvorum descriptione tanta confusio apparet, qvam in descriptione fungi articulorum s. tumoris albi, qvæ nomina morbi, de qvo in hacce dissertatione sermo erit, a singulis symptomatibus, morbo ipsi propriis, originem ducentia, apud varios autores variis morbis tribuuntur. Ita nobis minus mirandum videtur, qvod antiqviores autores, qvibus anatomia pathologica fere terra incognita erat, morbo, qvi hygroma genu s. hygroma cysticum patellare vulgo vocatur, nomen "fungi genu" tribuerunt [1]), vel quod alii, e. g. celeberrimus Heister [2]), morbum esse putant humores noxios, aut extra

[1]) Cf. Chirurgische Versuche von Bernhard Gottlob Schreger. Zweiter Band. Pag. 243.

[2]) Heisteri institutiones chirurgicæ-Pars prima. Amstelodami 1739. Pag 351 55.

articulum hærentes, aut in ipso articulo collectos; quin etiam ipse Heister loco citato distingvit inter morbos, ubi humores extra articulum stagnant, qviqve morbi proprii fungi articulorum sunt, et eos, ubi in ipso articulo collecti sunt, qvibus nomen "hydropem articuli" tribuendum vult. Potius nos mirari oportet, plerosqve recentiores, inter qvos etiam autores sunt, qvibus optima de morbis articulorum opera debemus, sub nomine "fungi articulorum" varios morbos, qvorum origo sat diversa est, describere. Ita clarissimus noster H. Callisen [1]) tres species fungi articulorum describit, qvæ nonnisi tres omnino diversi morbi esse rite declarandæ sunt. Chelius [2]) nomina, "fungum articulorum, tumorem album articulorum et luxationem spontaneam" synonyma esse dicit inflammationis partium, qvæ articulationes faciunt — id qvod non solum veram notionem naturæ & sedis morbi turbare, sed etiam indicationibus curativis morbi rite ponendis obstare, alio loco monstrare conabor.

---

[1]) Systema chirurgiæ hodiernæ. Hafniæ 1815. Volumen IIdum Pag. 26.

[2]) Haandbog i Chirurgien, oversat af Dr. F. W. Mansa. 1ste Bind. Pag. 98 et seqv.

Boyer[1]) morbum qvidem multo accuratius describit, sed, uti pleriqve autores, duos qvoad originem prorsus varios morbos, fungum scilicet articulorum et arthrocacem, inter se non distingvit. Idem de aliis autoribus Gallis valet, qvi opera chirurgica nobis reliqverunt, ita e. g. de Roche et Sanson, qvibus "tumeur blanche et arthrocace" verba synonyma sunt[2]). Lisfranc in dissertatione, qvæ anno **1826** edita est[3]), morbum esse dicit tumorem, sæpissime lente ortum et durum, partium mollium, qvæ articulationem qvandam formant vel circumdant, *vel cum affectione ossium et cartilaginum articularium vel sine ea*, et in ipsa dissertatione luxationis spontaneæ femoris et mali Pottii, tanqvam specierum tumoris albi, mentionem facit; in recentiore dissertatione, qvæ proximo anno vul-

---

[1]) Traité des maladies chirurgicales et des opérations, qvi leur conviennent. Tome qvatrième. Seconde edition. Pag. 489-552.

[2]) Nouveaux elemens de pathologie medico-chirurgicale par Roche & Sanson. Seconde edition. Tome second Pag. 98.

[3]) Archives generales de médecine. Qvatrième année. Tome XI. 1826. Mai.

gata est[1]), notionem clariorem nostri morbi aperit, qvem "chronicam intumescentiam" nominat, "vel omnes vel nonnullas modo articulationis cujusdam partes occupantem". Errorem eundem commiserunt etiam clarissimi autores Britanni, qvorum (qvippe qvi huncce morbum, climatis Britannici proprium, sæpius observare possint) descriptiones tumoris albi, uti exspectandum erat, longe præstantiores sunt. Ita Benjamin Bell, fungum articuli et arthrocacem inter se confundens, morbum in duas species, rheumaticam et scrophulosam, dividit[2]), qvam divisionem plures ab illo receperunt, inter recentissimos ita S. Cooper[3]) qvi in morbi pertractatione cetera Brodie magis seqvitur.

Plura opera chirurgica majora, qvæ obscuram et confusam descriptionem morbi, tu-

---

[1]) Revue medicale. Avril 1835.
Journalistik des Auslandes von Behrend. Junii 1835.

[2]) Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints. Edinburgh 1789. Pag. 431-476.

[3]) Neuestes Handbuch der Chirurgie. Nach der fünften und sechsten Ausgabe des Englischen Originals übersetzt. Zweite sehr verbesserte und vermehrte Ausgabe. Weimar 1821. Artikel: "Gelenke. Krankheiten derselben." Zweiter Band. Pag. 53-65.

moris albi dicti, continent, jam commemoravimus, neqve mirum est, plerasqve monographias ejusdem morbi eodem vitio laborare Primum igitur omnium Brodie [1]) nominabo, cujus de morbis articulationum monographia et ab omnibus merito laudata et a recentioribus, qvi morbos articulationum tractarunt, magis minusve adhibita est; neqve tamen hic ipsum fungum articuli ab aliis morbis chronicis articulorum recte distingvere mihi videtur. De autoribus, qvi in descriptione morbi Brodie seqvuntur, idem sponte valet. Ita Syme [2]), qvi nec sedem nec naturam tumoris albi plane cognitam esse diserte contendit, autore Brodie, arthrocacem tamqvam tumorem album describit, qvin etiam resectionem extremitatum ossium ob tumorem album articulationum commendat.

---

[1]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke von B. C. Brodie. Aus dem Englischen übersetzt und mit Anmerkungen und Zusätzen begleitet von G. P. Holscher. Hannover 1821.

[2]) Abhandlung über die Ausschneidung krankhafter Gelenke von James Syme. Aus dem Englischen übersetzt. Weimar 1832. Chirurgische Handbibliothek. Vierzehnter Band.

Porro Scott[1]), Brodie seqvens, nomen tumoris albi fere omnibus articulorum morbis olim tributum esse dicit, et sententiam fert, junioribus et inexpertis medicis perniciosam, quum dicit, sicut difficile sit discernere, qvæ textura organica in eo morbo prima affecta fuerit, ita qvoqve minoris momenti esse, quum morbus, in chronica inflammatione semper positus, eandem reqvirat curationem, modo ad gravitatem symptomatum accommodatam. In descriptione morbi nonnisi chronicam inflammationem ipsius articuli tractat, sed inter casus varios, qvos descriptioni suæ addidit, exempla non solum talis inflammationis articulorum, sed etiam hydarthri[2]) et fungi articuli[3]), me qvidem judice, invenimus.

Russel in eximia de morbis articulationis genu monographia hunc morbum[4]) talem

---

1) Chirurgische Beobachtungen über die Behandlung von chronischer Entzündung in verschiedenen Gebilden, besonders in Beziehung auf Krankheiten der Gelenke, von John Scot. Aus dem Englischen. Weimar 1829. Chirurgische Handbibliothek. Eilfter Band.

2) Cf. casum XImum, XIImum & XIIImum, Pag. 122-24.

3) Cf casum VItum & VIImum, Pag. 108-111, casum Xmum, Pag. 120.

4) Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes von James Russel. Aus dem Englischen übersetzt von Dr. Goldhagen. Halle 1817.

describit, qvalem, qvantum experientia me docuit, re vera sese præbet, nec cum arthrocace eum confundit; sed discrimen, qvod inter hos morbos est, ab eo non expositum invenimus.

Ex mea sententia celeberrimo Rust [1]) clarissimam explicationem originis et progressus fungi articulorum et præsertim ejusdem ab arthrocace distinctionem debemus. Compluribus operibus, in qvibus fungi articulorum mentionem facit, sententiam fere omnium coeterorum autorum, qvi morbum descripserunt, impugnat, certa signa ponens discriminis inter *fungum articulorum*, qvem in partibus mollibus, articulationes circumdantibus, sedem habere vult, & inter *arthrocacem*, qvo nomine inflammationem chronicam ossium, qvæ articulationes formant, appellat. Dolendum est, qvod vir tam expertus descriptionem morbi adeo obscuri casibus narratis haud illustrat;

---

[1]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie von J. N. Rust. Zweiter Band "Arthrocace" Pag. 321-28; Siebenter Band "Fungus articulorum," Pag. 564-80.
Rust Arthrocacologie. Wien 1817.
Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Staatsarzneykunde von J. N. Rust. Erster Band. Pag 351-56.

sed tota tam decursus ejusdem qvam phænomenorum, qvæ examine anatomico reperimus, descriptio mihi adeo ad verum expressa videtur, ut eô præ variis cæteris autoribus, qvos vel jam commemoravi vel in hacce dissertatione posthac commemorabo, niti nullus dubitem.

In recentioribus qvibusdam commentationibus de fungo articulorum [1]) easdem qvidem sententias, qvas apud Rust, legimus, in nulla autem eam præcisionem et perspicuitatem invenimus, qva varia illius opera excellunt. Qvod ad arthrocacem attinet, qvam Rust a fungo articulorum recte distingvit, notare necesse est, eum inflammationem chronicam articulationum in ipso periosteo interno sive tela medullari extremitatum ossium, qvæ articulos formant, orrii credere, et propterea isto nomine inflammationem chronicam extremitatum ossium appellare. Alii vero, qvibuscum eqvidem consentio, inflammationem chronicam articulationum ab unaqvaqve textura, qvæ ad

---

1) Cf. Abhandlung über die weiße Kniegeschwulst von Dr A. W. E. Ruhstrat. Göttingen 1826.
Monographie der weißen Geschwulst am Kniegelenke von A. F. Zohrer. Wien 1828.

articulationes formandas juvat, ortum ducere posse persvasum sibi habent, et nomine arthrocace sensu latiore utuntur — id qvod in hacce qvoqve dissertatione patebit.

Diversas rationes confusionis istius, qvam in variis fungi articulorum descriptionibus apparere vidimus, hoc loco exqviram, qvarum ea sine dubio maximi momenti est, qvod facultas partes in priore morbi stadio affectas explorandi nobis plerumqve desit. In hoc morbo, ut in omnibus, anatomia pathologica optimas et naturæ et sedis ipsius notiones præbet; sed, qvamqvam malignitas et perniciositas morbi occasionem membra, eo malo affecta, examinandi offert, quum fungus articulorum sæpe aut mortem afferat, aut saltem amputationem extremitatis afflictæ reqvirat, nihilominus tamen ipsa examinatio membri naturam morbi minus evidenter illustrat; nam in ulteriore morbi stadio omnes et duriores et molliores partes, qvæ articulationem formant et cingunt, destructæ sunt, sive morbus in ipsis articulorum partibus, sive in partibus mollibus extra articulos sedem primariam habuit. Ex eo tamen examine, qvod etiam in ulteriore morbi stadio instituere mihi contigit, argu-

menta sumsi, qvæ sententiam, qvam Rust amplectitur, confirmare mihi saltem videntur.

Me qvidem judice sedes propria morbi ob aliam qvoqve rationem latet, ob eam dico, qvod fungus articulorum in certis qvibusdam regionibus perraro occurrit. Apud nos qvidem et, qvod e pluribus descriptionibus apparet, in Britannia et Hollandia, i. e. in iis regionibus, ubi scrophulosis fere endemica est, morbus sat freqvens est, quum in Gallia, Italia et Germania meridionali rarissime occurrit [1]). Qvamobrem plures autores, qvibus præstantissimas commentationes de ceteris plerisqve morbis externis debemus, de eo morbo nil dicunt et, qvod maximi momenti est, annales scholarum clinicarum celeberrimi, qvos imprimis chirurgi Gallorum nobis suppeditant, nullam descriptionem pathologicam continent. Rara occasio fungi articulorum videndi & examinandi, qvæ celeberrimis Galliæ chirurgis hujus & prioris seculi contigit, Desault dico, Dupuytren et Larrey, rationem nobis explicat, cur ne unicum qvidem casum ejusdem morbi in operibus clinicis eximiis nobis offerant.

---

[1]) Russel l. c. Pag. 12.

Caput I.

Variæ denominationes morbi.

a. *Tumor albus* (white swelling, tumeur blanche, weisse Geschwulst) nomen est, qvo pleriqve autores Britanniæ, Galliæ Germaniæqve morbum appellant. Wisemann eo primus usus est [1]), qvia cutis, tumorem tegens, colorem naturalem plerumqve habet; nihilominus tamen apud plerosqve autores et fungum articulorum et arthrocacem eo nomine notatos invenimus.

b. *Fungus* qvoqve *articuli s. tumor fungosus articuli* nomen est vetustum, ortum trahens ab illa tumoris mollitie et elasticitate, qvæ digitis eum tangentibus sensum, fungo attacto similem, præbet. Quum Rust [2]) morbo, de qvo in hacce dissertatione agendum est, id nomen imponat, et apud nos idem plerumqve adhibeatur, hoc variis aliis præferre volo.

---

[1]) Richard Wisemann. Several chirurgical Traits. London 1676.

[2]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Band.

c. Nomina minus vulgaria sunt: *Anchylosis spuria* [1]), quum morbus, id qvod tamen fere omnibus articulationum morbis commune est, motum membri affecti semper magis minusve prohibeat; *Income* [2]), qvia lente & sæpe sine ulla causa cognita oritur; *Tumor lymphaticus* [3]) propter lympham in cellulosa et membranis aponeuroticis effusam (qvod nomen ceterum abscessibus lymphaticis magis vulgo imponitur); *Tumor rheumaticus et scrophulosus articuli* [4]) e distinctione, qvam Benj. Bell primus inter rheumaticam et scrophulosam morbi speciem posuit; *Arthrophyma adenochondrium s. Intumescentia massæ adiposæ, glandulosæ et cartilaginum articuli* [5]), qvod tamen nomen cuidam speciei

---

1) Cf. Rust l. c. Dictionaire des sciences medicales Tome LVI. Ruhstrat. Abhandlung über die weisse Kniegeschwulst. Pag. 7.

2) Russel über die Krankheiten des Kniegelenkes. Aus dem Englischen von Dr. Goldhagen. Pag 15.

3) Dict. des sciences medicales l. c. — Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième — Ruhstrat l. c.

4) Benj. Bell. Atreatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints — Dict. des sciences medicales l. c.

5) Rust l. c.

arthrocaces magis aptum videtur; deniqve *spina ventosa* [1]), qvo nomine veteres autores Arabes morbum descripsisse videntur, nos vero singularem ossium morbum significamus.

Cap. II.

Variæ species et varia divisio morbi.

Pleriqve morbum in omnibus articulis oriri posse credunt. Contendit ita Boyer, imprimis articulationem coxæ et articulos ginglymoideos, ex qvibus freqventissime genu, deinde cubitum, pedem et manum, rarissime vero digitos manus et pedis, eo affligi; eum vero etiam de arthrocace loqvi, exinde patet, qvod morbum, ubi in articulatione coxæ sedem habet, luxationem spontaneam femoris dici addit. „Nullum, qvantum scio, nobis exstat exemplum fungi articulorum", proprie sic

---

[1]) Cf. Samuel Coopers neuestes Handbuch der Chirurgie. Artikel "Gelenke. Krankheiten derselben."

dicti, in articulatione humeri vel femoris fixi — in qvibus e contrario arthrocace freqventissime oritur; — et variæ descriptiones morbi, articulationes digitorum manus pedisqve et extremitatis sternalis claviculæ afficientis, arthrocacem, imprimis eam hujus speciem, qvæ extremitates articulares ossium affligit (arthrocacen stricte sic dictam secundum Rust), delineare videntur. Ex altera autem parte inter casus tumoris albi articulationum ginglymoidearum plures invenimus, qvi ad fungum articuli proprie sic dictum pertinere videntur[1]). Qvod Benj. Bell in libro jam citato[2]) dicit, fungum imprimis articulationes genu et pedis occupare, meæ qvidem experientiæ congruit, quum ipsum fungum stricte sic dictum nunqvam in aliis articulationibus viderim. E tumoribus chronicis articuli pedis pleriqve, qvos vidi, ni fallor, ab inflammatione chronica extremitatum articularium ossium eorumqve periostei originem duxerunt et ita veræ species arthrocaces fuerunt; longe plures vero casus

---

[1]) Cf. John Scott. Chirurgische Beobachtungen &c. Chirurgische Handbibliothek. Eilfter Band.

[2]) Treatise &c. with a dissertation on white swellings of the joints by B. Bell. Pag. 439.

fungi genu occurrunt, ad qvem igitur, qvi non solum freqventissimus sit, sed etiam sensibus manifestius et certius sese præbeat, in morbo ejusqve anatomia pathologica demonstranda te, lector benevole, semper referam.

Pleriqve autores morbum in rheumaticum et scrophulosum diviserunt, inter qvos Bell primus est, qvi, utramqve speciem a se invicem in ulteriore morbi stadio haud facile distingvi posse, et rheumaticam nonnunqvam, scrophulosam vero nunqvam tolli posse, simul dicit[1]), illamqve in partibus mollibus, articulationes cingentibus, hanc in ipsis extremitatibus articularibus ossium ponit. Hancce divisionem experientia probare non videtur. Pleriqve enim autores præstantiores in eo consentiunt, qvod extremitates ossium in priore morbi stadio omnino integræ sint[2]); in altero vero stadio, in qvo occasio membri examinandi sæpius patet, et ipsa ossa et omnes partes molles affectas esse, nemo negare potest. Species illas duas, qvas Bell posuit,

---

[1]) l. c. Pag. 138.

[2]) Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin &c. von J. N. Rust. Erster Band. Pag. 351=56.

Rust a se invicem certis signis distinxit, scrophulosam ad arthrocacem referens, et eam solam, qvam Bell rheumaticæ indolis esse credit, nomine fungi articularis vocans. Videtur præterea Rust [1]) putare, fungum plerumqve rheumaticæ esse originis et arthrocacen scrophulosæ indolis, qvamqvam loco citato addit, utrumqve morbum vel a rheumatismo vel a scrophulosi vel ab aliis dyscrasiis oriri posse. In eo capite, qvo de morbi ætiologia loqvar, hanc rem magis illustrare conabor.

S. Cooper, licet Bell in divisione morbi seqvatur, scrophulosam speciem vel in ipsis ossibus, vel in cartilaginibus, ligamentis reliqvisqve partibus mollibus, articulos cingentibus, oriri posse credit.

Porro qvidem Rust et acutam et chronicam fungi articularis speciem describit, id qvod tamen ita interpretandum est, ut fungus articularis, proprie sic dictus, cujus decursus semper chronicus est, ab inflammatione acuta partium mollium, articulationes cingentium, ortum ducere possit; id qvod, si qva orga-

---

[1]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie von J. N. Rust. Zweiter Band. Artikel "Arthrocace."

nismi dispositio aut aliæ rationes formationi morbi faveant, fieri qvidem posse, ubi de ætiologia dicam, diligentius monstrabo.

Lisfranc morbum alio modo dividit, scilicet in speciem idiopathicam, qvam, a læsione articuli male tractata oriundam, perraram esse jure dicit, et symptomaticam, qvæ dyscrasiæ alicui, plerumqve rheumatismo vel scrophulosi, originem debeat [1]).

Si ea sententia vera est (qvod haud dubito), qva nomen fungi articularis nonnisi propriæ chronicæ inflammationi tribuitur, qvæ in partibus mollibus articulationes cingentibus primo oriatur et sensim modo ad partes, qvæ ipsas articulationes formant, accedat, haud scio, an sint omnes divisiones, excepta ea, qvæ ex vario gradu et varia extensione mali morbum in diversa stadia disponit, curæ rationali inutiles. Si vero, qvod rheumatismus causam occasionalem morbi præbere possit, rheumaticam speciem ponere fas esset, eodem jure species variolosa, species puerperalis et

---

[1]) Archives generales de medicine. Qvatriéme année. Tome XI. 1826. Mai.

Revue medicale. Avril 1835. Behrends Journalistik des Auslandes. Juni 1835

ita plures essent statuendæ, quum inter causas occasionales interdum variolas vel aliam febrem exanthematicam, interdum febrem puerperalem morbum per metastasin afferre videamus.

Cap. III.

Descriptio fungi articularis.

Totum morbi decursum seqventibus commodissimum nobis videtur, si cum Rust et Ruhstrat [1]) tria stadia ponimus.

Stadium primum.

Ubi morbus ab inflammatione magis acuta, violentiæ externæ aut rheumaticæ aliusve metastaseos seqvela, incipit, symptomata alia sunt, qvam si forma jam ab initio morbi magis chronica est. In illo casu morbus varie qvoqve decurrit. Ubi inflammatio magis acuta a læsione externa oritur, tumor magis expan-

[1]) Abhandlung über die weisse Kniegeschwulst.

sus et tensus notatur, qvi dolores, motu membri et pressione augescentes, affert; breviore autem vel longiore temporis spatio tumor et dolores minuuntur, et morbus chronicam formam sumit. Si rheumatismus in causa est, initio morbi tumor calidus, dolorificus, sæpe rubescens et elasticus observatur, qvi vel una cum febre rheumatica vel aliqvot diebus post eandem exortam accedit; 8-10 vel pluribus diebus præterlapsis [1]), symptomata febrilia et inflammatoria cessant, qvæ excipit intumescentia frigida, mollis ac fungosa, qvæ solitam formam chronicam subit. Ita inflammatio rheumatica vera in fungum abit — id qvod tamen in nemine e copia haud parva ægrorum occurrit, qvos eo morbo affectos vidi. Etiam si ab alia metastasi oritur, e. g. post febres exanthematicas, puerperales, cet:, magis acutam formam habere posse vulgo dicitur, id qvod mihi nunqvam contigit ut observarem; quum vero arthromeningitis acuta sæpe talem originem habeat, et illæ metastases membranas serosas sæpe petant, haud er-

[1]) Rust. Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie 7ter Band. "Fungus articuli."

rare me puto, si casus ejusmodi non ad fungum, sed ad meningitidem articuli chronicam, qvæ instar omnium inflammationum articuli chronicarum nomine tumoris albi vocata est, pertinere credam. Verisimilius fungus ab inflammatione rheumatica oriri potest, qvia cellulosa et membranæ fibrosæ, in qvibus partibus, ut in hacce dissertatione docere conabor, istius morbi sedes propria est, rheumatismo facile afficiuntur.

Vulgo tamen morbi nostri jam ab initio chronica est forma, et *stadium primum* hanc rationem seqvitur: Primum, qvod æger qveritur, levis est *rigiditas* & *tumor*, qvi initio morbi totam superficiem anteriorem genu vulgo capit, parum autem prominet, sed magis diffusus et planus est nec ejus formœ regularis, qvæ inflammationi membranæ synovialis propria est. Autore Russel [1]) tumor partem anteriorem et inferiorem genu primum haud excedit, utramqve parvam foveam, qvæ in utroqve ligamenti patellæ inferioris latere observatur, primum occupans, unde ad reliqvam genu partem extenditur. Lloyd concedit qvi-

---

[1]) Russel. Ueber die Krankheiten des Kniegelenks. Pag. 15

dem, tumorem ab unaqvaqve articulationis parte oriri posse, sed sese eum in glandula parva, supra condylum internum femoris sita, ortum sæpius vidisse contendit [1]); sed neqve talem glandulam accuratissima etiam examinatione cadaverum mihi contigit ut invenirem, neqve hancce originem tumoris vel ipse unqvam vidi vel apud alios autores relatam legi In hoc primo stadio tumor nec singularem fungosam consistentiam habet, nec, oedematis instar, impressionem digitorum retinet, sed potius cutis atqve tela cellulosa insolitam plenitudinem et densitatem exhibet.

Dolores initio morbi re vera vel absunt vel modo leves sunt; potius membro moto sensus qvidam incommodus observatur, qvi sensim crescit et flexione vel extensione cruris augetur. Præter sensum qvendam gravitatis et debilitatis totius extremitatis affectæ, qvi imprimis, quum aliqvo tempore immotum sese tenuit, percipitur, æger qvoqve sensibilitatem genu auctam vulgo conqveritur, ita ut qvævis temperaturæ mutatio, refrigeratio vel la-

---

[1]) A treatise on the nature &c. of scrophula. London 1821. Pag. 139.

bor insolitus ad sensum dolorificum excitandum sæpe sufficiat, — id qvod tamen pro singulari cujusqve receptivitate & constitutione valde variat. Autore Rust [1]) sensus qvidam caloris in ipso articulo inter signa prima est. Dolorum avertendorum et leniendorum gratia simulqve ob rigiditatem membri, qvam tumor fert, ægrotus genu, qvantum fieri potest, immotum et simul curvatum tenere conatur, qvippe quum flexione membri dolores minus percipiantur; si ambulat, solum nonnisi digitis cruris affecti attingit, trunco corporis vulgo proclinato et manu ipsi genu incumbente. Itaqve musculi flexores cruris continuo contrahuntur, qvo fit, ut, quum massa in cellulosa deposita [2]) liberæ musculorum et tendinum actioni obstet, æger jam in hoc stadio crus extendere haud valeat. (Contendit qvidem Boyer [3]), crus interdum plane extensum esse, id qvod tamen, si verum sit, potius de

---

[1]) Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Staatsarzneikunde. Erster Band. Pag. 355.

[2]) v. Caput IVtum.

[3]) Dict. des sciences medicales. Tome LVI. Pag 111. Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 193.

gonarthrocace valet). Cutis nec qvoad colorem nec qvoad faciem externam mutata est. Reliqva valetudo in primo morbi stadio integra est, appetitus et vires vigent, adeoqve malum ab ipso ægro ejusqve propinqvis plerumqve parvi habetur. Dicit tamen Rust [1], animi depressionem gravem et vultum langvidum jam in hoc stadio observari posse.

Ubi nulla nova causa occasionalis ad morbi progressum accelerandum accedit, symptomatibus lente crescentibus plures hebdomades et menses, qvin etiam toti anni prius protrahuntur, qvam *stadium secundum* efficitur.

In hoc stadio tumor admodum crescit, magis prominet et insignis est mollitie, fungorum instar, qvæ singularem sensum digitis præbet, perinde ac si fluctuatio magis profunda percipiatur. Qvæ vero mollities non semper sibi constans est; qvin, ubi morbus jam diu duravit et massa deposita jam magis solida et condensata est, tumor interdum potius durus videtur. Vulgo tamen ob mas-

---

[1]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Band. Pag. 566.

sam depositam, qvâ cellulosa, inter cutem et varias membranas aponeuroticas sita, plena est, *mollis*, *elasticus* et *fungosus* est; impressionem digitorum excipit qvidem, sed non retinet. Fluctuatio spuria, cujus mentionem jam feci, signum notatu dignissimum est, qvippe qvæ facere possit, ut collectio fluidi præternaturalis in cavo articuli adesse putetur, neqve desunt exempla, unde appareat, chirurgos eo fluctuationis sensu ad tumorem incidendum inductos fuisse; coeterum vero forma tumoris et situs patellæ ad veram diagnosin juvat. Forma tumoris adeo mutatur, ut regio genu, eminentiis et foveis adæqvatis, figuram magis rotundam et qvasi globosam accipiat. Ut plurimum totam regionem genu, qvin sæpius, extra circumferentiam ipsius articulationis sese extendens, inferiorem femoris partem occupat. Cavitas poplitæa sæpe qvoqve intumescit, nunqvam tamen eodem gradu, ac ipsa superficies anterior et lateralis genu. Patella, qvæ, ubi fluidum in membrana capsulari collectum est, magis prominet et in ipso liqvido manuum ope deprimi potest, in fungo articulari non solum non elevata est, sed depressa etiam videtur, ipso tumore scilicet supra mar-

gines patellæ eminente. Ruhstrat[1]) contendit, ægrum ex motu patellæ, si adhuc moveri possit, singularem sensum percipere, perinde ac si sabulum in cavo articuli præsto esset, adeoqve motum patellæ eo magis dolorificum fieri — id qvod tamen neqve ipse observavi neqve apud alios legi.

Ipso tumore volumine aucto, cutis magis extenditur, ita ut non amplius plicari possit, et simul attenuatur, qvare tumor magis lævis et nitidus fit et colorem pallido-lividescentem vel rubescentem obtinet, qvi tamen non ubiqve diffusus, sed a vasis capillaribus cutis, per cuticulam perlucentibus, modo qvasi striatus est.

Dolores in secundo morbi stadio ipsum genu magis affligunt, magis continui et graviores fiunt. Interdum hi dolores singula loca, qvæ tunc attactu dolent et plerumqve præ reliqva cute calent, primum potius apprehendunt[2]), posthac vero totum genu occupant; non solum attactu et præsertim motu articu-

---

[1]) Abhandlung über die weisse Kniegeschwulst. Pag. 18.

[2]) Russel. Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Aus dem Englischen von Dr. Goldhagen. Pag. 17.

lationis augentur, sed plerumqve noctu exacerbantur et somnum ægroti turbant.

Ab ea irritatione continua et semper ingravescente symptomata febrilia oriuntur, qvæ præcipue vespere et noctu ægrum molestant, et qvorum decursus plerumqve ita est, ut primo nonnisi aliqvot vesperæ horis observentur, posthac vero diutius adsint et febrem continuam, qvæ hecticam indolem magis magisqve accipiat, paulatim constituant. Simul qvoqve appetitus prostratus est; totum corpus magis magisqve emaciatur, imprimis vero ipsum membrum affectum — plerumqve tamen magis infra genu qvam supra hoc, — cujus et musculi relaxantur et tabescunt, et cutis langvet & pallidescit.

In ingvine membri affecti glandulæ lymphaticæ haud raro intumescunt, qvod signum tamen interdum jam in primo morbi stadio observatur, interdum ne in secundo qvidem apparet.

Singulare signum, qvod alii autores haud referunt, nec ipse unqvam vidi, apud Russel [1])

---

[1]) l. c. Pag. 21.

legimus, parvam illam extremitatis superioris tibiæ eminentiam proprium crepitus sensum, emphysematis magis limitati instar, digitis attactu præbere, qvalem sensum raro etiam supra patellam sese percepisse ait; contendit simul, eum sensum modo brevi observari et in ulteriore morbi stadio nunqvam exstare.

Qvi inter rheumaticam et scrophulosam fungi articulorum speciem distingvunt, nominis causa Bell, Boyer, S. Cooper, in illa dolorem jam ab initio morbi adesse, totam articuli regionem occupantem et a primo initio cum tumore conjunctum, in hac autem specie dolorem semper præcedere et plerumqve in unum singularem locum conclusum & limitatum esse dicunt; hocce vero signum, de qvo novissime diximus, revera in chronicam extremitatum ossium inflammationem convenit, cui illi autores nomen fungi articularis scrophulosi tribuunt.

Deniqve *tertium morbi stadium* accedit, in qvo indoles tumoris prorsus alia fit.

Singula tumoris loca et imprimis ea, qvæ hucusqve magis prominebant et magis dolorifica erant, jam rubro vel purpureo colore inficiuntur, et veram mollitiem et fluc-

tuationem præbent, singulis abscessibus parvis ita formatis. Ægrotus e pressione tumoris acerbissimos dolores, qvi usqve ad profundiora articuli descendunt, percipit, et ipsum crus, qvod ad hoc tempus emaciatum erat, oedemate plerumqve intumescit Abscessus fluctuantes tandem rumpuntur et ichorem tenuem, foetidum atqve sangvinolentum fundunt, qvi, materiæ, qvam abscessus scrophulosi includunt, instar, particulas pellucidas, flocculentas et qvasi albuminosas secum mixtas habet [1]). Ulcera ita orta interdum sanantur vel sæpius crustis obteguntur, qvæ, priusqvam dissolvuntur, plures menses permaneant, et aliis in locis alia ulcera formantur; interdum autem hæc ulcera non sanantur, sed in fistulas et sinuositates abeunt, qvæ similem ichorem, ejusqve etiam magnam copiam fundunt, volumine tumoris nihilo minus haud decrescente. Specilli ope si ulcera exploremus, hocce instrumentum omnes partes facile pe-

---

[1]) Cf. Dict. des sciences medicales. Tome LVI. Pag. 112. Boyer: Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatriéme. Pag. 495. S. Cooper. Neuestes Handbuch der Chirurgie. Artikel "Gelenke. Krankheiten derselben."

netrare et ipsas fistulas variam habere directionem videbimus, et in ipso fundo fistularum ligamentum capsulare corrosum et extremitates ossium denudatas atqve carie affectas interdum inveniemus; id qvod tamen rarius accidit; sæpius, ut in cap. IV monstrabo, in fundo ulcerum eas ossium partes, qvæ extra ligamentum capsulare sedem habent, carie afflictas reperiemus.

Reliqva valetudo simul qvoqve laborat. Febris vere hecticam indolem sumit, et symptomata colliqvativa oriuntur; æger omnino emaciatur, perditis omnibus viribus, animum maximopere depressum et anxium habet — deniqve, nisi amputatio femoris tempestive instituta erit, hecticam mortem occumbet. In hoc morbi stadio plerumqve aliis incommodis laborat, qvæ ab affectione aliarum partium, sæpissime pulmonum et glandularum mesenterii, ortum ducunt, et qvorum fontem sectio cadaveris sat manifesto illustrat.

Dicit Boyer, symptomata hectica puris absorptioni deberi et sæpissime accedere vel saltem citius crescere, ubi abscessus in regione articuli aperti ad cavum suum aditum liberum aëri dederint, qvem ad pus corrum-

pendum ita facere credit; qvæ sententia prorsus consentit ei, qvam fere omnes antiqviores et haud pauci recentiores autores de absorptione puris et de aëre suppurationi nocivo tuentur. Varias rationes, qvæ ei sententiæ olim vulgari obstant, uberius pertractare hujus dissertationis haud est; libet tamen notare, tumorem sæpe, (ex mea qvidem experientia, freqventissime) in suppurationem haud verti et symptomata hectica nihilo minus oriri, unde seqvitur, ut ipsa historia fungi articularis illi sententiæ haud faveat.

In toto morbi decursu crus in situ flexo plerumqve tenetur, ita ut extendi haud possit. Occurrunt tamen casus [1]), in qvibus articulatio genu haud rigidescat, sed ob præternaturalem partium affectarum laxitatem solito magis flexibilis et mobilis fiat, et in qvibus crus non solum extensum, sed etiam magis supinum sit, ita ut tota extremitas qvasi arcum, anteriora versus concavum, formet; id qvod tamen, nisi tumor permagnus sit, fieri non potest. Talem extremitatis incurvationem

---

[1]) Cf. Russel l. c. Pag. 25.

nunqvam vidimus, sed insolitam laxitatem et in omnem partem mobilitatem articuli, a corrosione firmarum membranarum et ligamentorum, qvæ crus cum femore jungunt, oriundam in ultimo morbi stadio sæpius observavimus. S. Cooper sese casum vidisse affirmat [1]), ubi æger, si membrum vel flexum vel extensum esset, crus in omnem partem sat libere movere posset; qvo in casu igitur ligamenta vel admodum relaxata vel etiam prorsus destructa fuerint, necesse est.

Ex ipsa descriptione morbi, qvam jam retuli, omnibus patet, inconstantiam symptomatum sæpe observari, et præsertim stadia morbi certis finibus haud fixa esse; solitum vero modum, qvo morbus decurrit, ut clarius illustrarem, fungum articuli, Rust et Ruhstrat seqvens, in tria stadia disposui.

Spatium temporis etiam, qvo morbus decurrit, valde variat, id qvod partim in singula cujusqve constitutione partim in aliis rationibus positum est. Ita, autore Russel, morbus interdum jam aliqvot hebdomadibus stadia sua

---

[1]) Neuestes Handbuch der Chirurgie. Zweiter Band. Pag. 59.

percurrit, in aliis casibus per tredecim vel qvatuordecim annos continuo ingravescit; quum autem Russel in eodem loco addit [1]), se præcipue apud puerperas morbum tam cito decurrere vidisse, eam suspicionem movere mihi videtur, ut de morbis genu, in affectione membranæ synovialis positis, loqvatur, qvippe quum inflammatio ejus membranæ puerperas freqventer affligat et decursum multo magis acutum qvam fungus articuli plerumqve habeat. Constat saltem, fungum articuli decursum chronicum vulgo habere, licet ea qvoqve ratione sat varium sese præbeat. Ubi magna dispositio prævalet, vel ubi, dispositione licet minore, causæ occasionales graves morbum excitant, acutiorem habeat decursum necesse est; vulgo vero plures menses qvin plures anni elabuntur, priusqvam ad fastigium pervenit. — In primo stadio morbus interdum non progredi vel etiam ad sanitatem inclinare per plures menses videtur, sed vel ab externa læsione genu vel a graviore motu vel a refrigerio qvin sæpe absqve causa cognita iterum ingravescit et ulteriora

---

[1]) l. c. Pag. 38.

stadia gradatim attingit — id qvod in plerisqve morbis chronicis tamen fieri potest ideoqve in fungo articulari haud singularis momenti est.

Cap. IV.

Examen anatomicum membrorum, qvæ fungo articulari affecta sunt.

Quum examinatio anatomica, e qva imprimis notionem claram sedis morbi hauriri posse exspectandum erat, in antiqvioribus descriptionibus fere omnino neglecta sit, minus mirandum videtur, qvod in iis tantam confusionem deprehendimus. Ipsa vero examinatio anatomica spem medicorum interdum fefellit. Paucis casibus exceptis, in qvibus ægri primo fungi articularis stadio alii morbo succubuerunt, tantummodo in ultimo stadio, quum æger vel mortem obiit vel, vitæ servandæ gratia, amputationem extremitatis passus est, membri examinandi occasio nobis patet, in qvo stadio

autem et partes molles, qvæ articulationem cingunt, et omnes partes, qvæ eam formant, adeo corruptæ atqve destructæ reperiuntur, ut, si qvis opinione qvalicunqve de morbi sede jam imbutus sit, in ipsa membri affecti examinatione eam corroboratam facile videat. In paucis casibus, ubi talis examinis occasio mihi oblata fuit, morbus ad ultimum stadium jam pervenerat; sed, si gradus, qvo variæ partes jam corruptæ sunt, cum signis morbi præcedentibus confertur, sat manifesto patere mihi videtur, in qvibus partibus morbus primam originem habuerit. Semper vero simul respiciendum est ad varietatem, qvam non solum in decursu et symptomatibus morbi, sed etiam in mutationibus structuræ partium, morbi seqvelis, observamus, et Boyer sine dubio probandus est, qvi dicit [1]), sectionem membrorum, eo morbo affectorum, ne in duobus qvidem casibus paris destructionis signa præbere.

Qvod examine anatomico reperimus, secundum varia morbi stadia qvoqve disponere possumus.

---

[1]) Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième Pag 499.

In primo stadio telam cellulosam, qvæ ligamenta et aponeuroses cingit, magis vasculosam vulgo reperimus, ita ut vasa ejusdem et majora et freqventiora qvam solito sint. Ipsa substantia cellulosa justo crassior, mollior et minus densa est, et massam glutinosam atqve flavescentem continere videtur, qvæ lymphæ coagulabili, inflammatione qvadam depositæ, revera congruit, et cui consistentia mollis atqve fungosa tumoris cum fallaci sensu fluctuationis, de qvo supra dixi, debetur. Massa deposita in hoc stadio magis liqvida est qvam in ulteriore morbo, et sectione membri inter ipsas cellulas ac massam in iis contentam discrimen fieri potest [1]). Autore Lisfranc [2]) cellulosa sub cute proxime sita aliqvid seri infiltratum habet; stratum profundius coloris crocei est et interiora versus punctis nigris, qvæ tuberculis veris haud dissimilia sunt, inspersum, et cellulosa adhuc profundior qvasi lardacea est; circum illud stratum flavescens rete vasculosum solito largius reperitur. Ligamenta

---

[1]) Rusfel. Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Pag. 23.

[2]) Archives générales de médecine. 1826. Mai. Revue medicale. 1835. Avril.

lateralia emollita et incrassata, coloris obscurioris sunt et materiem plasticam continent; ligamentum capsulare etiam incrassatum, rubescens et emollitum est et fluidum seroso-sangvineum concludit. Lisfranc semel in fungo pedis in sanationem inclinante, cui accedens gangræna amputationem cruris necessariam fecit, sanationem (sicut etiam ortum et progressum morbi) a cellulosa altiori exeuntem ad profundiorem sensim extendi vidit; dicit autem, tumorem interdum in partibus mollibus profundioribus oriri posse, et sanationem tunc ab iis qvoqve exire. Texturam partium mollium interdum rubescentem, telæ erectili similem et granis parvis impletam, qvæ vulgaribus tuberculis pulmonum similia sint, interdum invenit, qvam speciem rursus perniciosissimam eoqve insignem esse dicit, qvod ipse tumor parvus sit et digitorum pressione sensum præbeat ei similem, qvem in organis spongiosis, e. g. in liene et placenta, percipimus; in ea qvoqve specie, eodem autore, abscessus sæpissime orientur, qvi primo materiem caseosam, deinde saniem ichorosam et deniqve flocculos et particulas ipsius telæ erectilis fundant.

Præter ipsam membranam capsularem, qvæ secundum sententiam plurimorum jam affici coepit, partes profundiores articulorum in primo morbi stadio vel non vel modo parum afflictæ sunt. Ipsa vero membrana capsularis incrassatur qvidem, sed simul laxior fit, qvoniam eadem massa, qvam in tela cellulosa externa reperimus, in illa deponitur. Superficies externa membranæ, colore coeruleo-albescenti & nitore perdito, magis albido-flavescens (secundum Lisfranc magis rubescens) fit, et superficies interna substantia subflava atqve molli obducitur, qvæ tamen non eodem modo totam superficiem tegit, sed in aliqvot locis crassior et densior, in aliis tenuior est, in aliis omnino abest. Ista substantia interiora versus plerumqve mollior, in superficie externa autem, qvæ cum ligamento capsulari ut plurimum firmiter cohæret, densior et spissior est; Russel eandem substantiam fere octavæ partis pollicis crassitudinem tenere sæpius vidit. In uno casu, ubi amputationem femoris ob fungum genu, jam ad tertium stadium progressum, institueram, eandem massam qvartam partem pollicis crassitudine su-

perantem, vasculis parvis intextam, coloris lutei et consistentiæ sat densæ vidi.

Brodie[1]) octo refert casus, in qvibus structuram membranæ capsularis morbose mutatam fuisse dicit, et qvos, symptomatum morbi et mutationum organicarum, qvas seqvelas morbi fuisse describit, ratione habita, sine dubio ad fungum articularem referre licet. Eodem autore ligamentum capsulare in substantiam crassam, pultaceam, flavo-vel rubrofusci coloris, striis albis, membranaceis trajectam, commutatum reperitur. Coeterum ipsum morbum in membrana capsulari ortum habere putat, et verisimile esse credit, eum a singulis locis ejusdem oriri. Quum occasio tumoris in primo stadio sectione anatomica examinandi rarissime sese præbeat, sententiam illam impugnare neqvimus; attamen non solum symptomata, qvæ primum morbi stadium efficiunt, sed etiam ipsum examen anatomicum in ultimo stadio factum, qvod partes externas, articulum cingentes, majori gradu et majori

---

[1]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von Holscher. Drittes Capitel. Pag. 75-96.

ambitu, qvam ipsam membranam capsularem, destructas esse monstrat, sententiam dictam infirmat; et ita qvidem credere fas est, Brodie partes molles, articulum cingentes, haud sat diligenter examinasse. Si in hoc morbi stadio capsulam aperuerimus, nil aliud abnorme inveniemus, nisi qvod synovia solito copiosior et simul magis turbida seroqve lactis haud dissimilis sit. Coeterum, etiamsi primum stadium a secundo certius distingvi posset, statuere tamen haud possumus, qvando temporis, utrum jam in primo an potius in secundo morbi stadio, membrana capsularis et synovia, in eadem contenta, corrumpi coepta sit. Mihi qvidem verisimile videtur, membranam jam in primo stadio laborare coepisse, sed mutationes singulares, qvarum mentionem feci, secundo stadio proprias esse; qvod tamen quum haud certo probari possit, totam affectionem et corruptionem unâ describere potius volui.

In *secundo morbi stadio* massæ, in cellulosa depositæ, multo major copia reperitur et substantiam solidiorem, fungoso-gelatinosam format, striis albis et fibrosis huc illuc trajectam, in qva inter massam depositam et ipsam telam cellulosam certo distingvi neqvit.

Massa deposita et in cellulosa subcutanea et inter varias aponeuroses invenitur; lardacea, flavescenti-cinerea est et minus vasculosa, qvam in primo stadio vidimus. Strias albas, qvas dixi, Rust[1]) vasa majora, obliterationi jam obnoxia, esse credit, in qvæ massam, qvæ pro injectionibus anatomicis in usu est, immitti posse contendit; autore Lisfranc[2]) autem venæ in eo morbi stadio dilatatæ et varicosæ sunt, arteriæ autem volumine eatenus auctæ, ut tunica interna omnino integra, externa incrassata et qvasi lardacea sit.

Musculi et tendines prope articulum siti, qvi jamdiu inertes fuerunt, propterea atrophici sunt, et illi igitur justo tenuiores et pallidiores inveniuntur; id qvod etiam de musculis totius femoris et cruris valet. Ab ea atrophia musculorum seqvitur, ut rigiditas et immobilitas membri non veræ contractioni musculosæ debeatur, id qvod, ut Russel jure contendit, exinde qvoqve apparet, qvod, amputato femore, genu haud liberius moveri potest, eti-

---

1) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Band. Pag. 571.

2) Archives generales de médecine. 1826. Mai.

amsi in ipso articulo nihil, qvod motui obstet, inveniamus. Causam vero sufficientem rigiditatis continuæ in abnormi massa ponimus, cujus largior semper copia in partibus mollibus, articulationem cingentibus, deponitur, et ægrum situm flexum genu, qvem in priore morbi stadio dolorum leniendorum gratia tenere solet, in posterum semper servare cogitur. Refert Boyer [1]), etiam nervos prope articulum sitos incrassatos esse, id qvod tamen nonnisi in substantia abnormi deposita, qvæ inter reliqvas partes molles etiam nervos cingit, revera pendet. In superficie anteriore genu cutis ob magnam suam extensionem chronica inflammatione corripitur, itaqve incrassata et indurata, sensibilitate naturali perdita, interdum qvoqve corrugatur.

Qvod attinet ad affectionem partium, qvæ ipsum articulum formant, de corruptione membranæ capsularis jam supra diximus; reliqvæ vero partes articulares adhuc integræ sunt.

---

[3]) Dictionaire des sciences medicales. Tome LVI. Pag. 111.

Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 497.

Lisfranc in priore sua dissertatione, qvam in Archives generales de médecine Mai 1826 legimus et cujus mentionem sæpius fecimus, periosteum incrassatum et ab ossibus interdum separatum qvidem esse contendit; qva vero in dissertatione inter arthrocacem et fungum articuli haud rite distinxit, et in posteriore dissertatione, qvam in Revue medicale Avril 1835 legimus, nullam talem observationem invenimus

In *tertio morbo stadio* omnes partes molles jam colliqvescunt et massam glutinosam vel gelatinosam formant, in qva nulla texturæ naturalis vestigia reperiuntur. Hic illic cavitates parvæ inveniuntur, qvæ ichorem sangvinolentum, flocculis albuminosis mixtum, continent et per ipsam cutem fluctuationem præbent. In variis locis ulcera sinuosa et fistulosa per massam corruptam usqve ad ossa penetrant, qvæ a periosteo soluta, ob cariem superficialem aspera et sanie ichorosâ obducta sese exhibent; qvod in omnibus fistulis observatur, etiam de illis fistulis atqve sinuositatibus valet, scilicet ut tenui qvadam et vasculosa tunica, saniei ichoroso-purulentæ secretioni inserviente, obductæ sint. Vasculosa massæ

corruptæ et fungosæ structura structuræ aliarum substantiarum, qvæ a vegetatione morbosa oriuntur, e. g. fungi hæmatodis et melanosis, in eo similis est, qvod arteriæ ejusdem ex parte obliteratæ, venæ autem admodum dilatatæ sint.

Huic autem morbi stadio singularis est corruptio et destructio, qvæ in ipsis partibus articulationem formantibus observatur. Ita membrana capsularis, ut jam supra dictum est, corrupta, superficies interna ejusdem albido-flavescente vel cinereo strato lymphatico obducta est et saniem ichoroso-purulentam continet, in qva parva frustula ossea, carie soluta, vel frustula cartilaginum, qvæ extremitates ossium obducunt, interdum libere natant. Cartilagines plerumqve magis minusve destructæ sunt et qvidem vulgo ita, ut ea, qvæ caput tibiæ obducit, prius & citius destruatur; qvam ob rem totam superficiem articularem tibiæ sæpius, femur fere nunqvam vel non adeo omnino tegmento cartilagineo orbatum invenimus. Autore Russel hæc ulceratio cartilaginum in margine circumscribente semper oritur, unde ad mediam superficiem articularem sensim protenditur; ipse vero in variis a margine

distantibus locis eam vidi, ita ut parvæ qvasi insulæ cartilagineæ varias partes superficiei articularis ossis obduxissent. Ulceratione cartilaginum facta, corruptio ipsius superficiei articularis ossium coepit, eodem ordine servato, ita ut primum tibia, deinde femur afficiatur. Corrosio illa plerumqve in margine anteriore tibiæ oritur et, totum marginem circumscribentem et partem periphericam superficiei superioris seqvens, usqve ad marginem posteriorem tendit, media superficiei parte adhuc integra et glabra; etiam in osse femoris, diutius integro conservato, margines prius qvam media superficies corroduntur; patella ejusqve tegmentum cartilagineum rarius afficitur, vel, si accidit, modo parum; fibula semper extra partes fungo destructas situm habet [1]). Eo plerumqve modo ossa afficiuntur, ut lamina externa magis compacta attenuetur, et substantia interna spongiosa emolliatur et carie excavetur. Boyer in media substantia ossea emollita atqve destructa singula frustula ossea,

[1]) Russel über die Krankheiten des Kniegelenkes. Pag. 55.

solito duriora et læviora, et colore et duritie ebori similia, interdum invenit[1]).

In omnibus antiqvioribus fungi articularis descriptionibus legimus, extremitates ossium, præsertim condylos femoris, volumen auctum semper habere — id qvod falsum est, et a Russel, Wilson[2]), S. Cooper[3]), pluribus diserte negatur. Revera interdum turgidæ esse videntur, qvod tamen Russel inde pendere haud dubie jure suo credit, qvod massa deposita, cui cutis obstat, formam ossium subjacentium assumat necesse sit, qvo facto ipsa ossa inflari videantur[4]).

---

[1]) Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatriéme. Pag. 499. Dict. des sciences medicales. Tome LVI. Pag. 115.

[2]) Lectures on the structure and physiology of skeleton and diseases of the bones and joints. London 1820. Pag. 336.

[3]) Neuestes Handbuch der Chirurgie. Artikel "Gelenke. Krankheiten derselben."

[4]) l. c. Pag. 21.

Cap. V.

De morbi sede et natura.

De sede atqve natura fungi articularis, ut supra vidimus, variæ sententiæ fuerunt, a vario sensu, qvi nomini fungi articularis seu tumoris albi tributus fuit, ortæ. Alio loco de hac re plus locutus sum; in hocce capite nonnisi fungum articuli proprie sic dictum tractabo.

Si symptomata, qvibus morbus in priore stadio insignis est, et simul qvæ examine anatomico membri, eo morbo affecti, inveniuntur, respicimus, haud dubium nobis videtur, qvin in partibus mollibus, articulationes cingentibus, i. e. in cellulosa et membranis aponeuroticis, oriatur, et in ulteriore stadio ipsam articulationem et præcipue membranam capsularem afficiat. Iam Heister causam proximam in inspissato circa juncturarum ligamenta sero viscido atqve glutinoso hærere dicit [1]).

---

[1]) Institutiones chirurgicæ. Pars prima. Amstelodami 1739. Pag. 351.

Brodie [1]) nomen "tumoris albi" pluribus articulorum morbis tribuit, scilicet a) degenerationi membranæ synovialis; b) ulcerationi cartilaginum, qvæ extremitates ossium tegunt, si in articulo qvodam magis superficiali sedem habeat; c) inflammationi chronicæ ipsarum extremitatum ossium (tumori albo scrophuloso apud Bell); sed tantummodo descriptio primi ex illis morbis fungo articulari proprie sic dicto congruit, in qva rursus, ut supra diximus, conditionem partium mollium externarum neglexit. Benjamin Bell et Boyer nomine tumoris albi rheumatici eum descripserunt, qvam morbi speciem in partibus mollibus sedem propriam habere etiam censent. Quum articulatio genu præ omnibus cœteris articulationibus huic morbo obnoxia sit, et eadem articulatio membranis aponeuroticis et tela cellulosa omnium largissime cincta sit, eo magis credere fas est, morbum in partibus mollibus extra articulum sitis sedem primariam habere; eâdem vero ratione nitentes autores, qvi rheumaticam et scrophulosam fungi spe-

---

[1]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von Holscher.

ciem statuerunt, illum articulum genu, qvi situm adeo superficialem habeat, præ majoribus et profundioribus articulationibus occupare contendunt. Si hoc verum esse statuitur, qvod a Rust statutum invenimus, ut inter fungum articuli et arthrocacen distingvendum sit, longe major similitudo variis autorum descriptionibus erit, qvam qvæ primo aspectu adesse videtur.

Qvod ad *naturam morbi* attinet, omnia symptomata, causæ disponentes et occasionales et præsertim corruptiones atqve destructiones partium, qvas examine anatomico reperimus, manifestissimum indolis inflammatoriæ morbi argumentum exhibent. Ideo chronicam inflammationem specificam telæ cellulosæ et membranarum aponeuroticarum, qvæ articulum cingunt, causam proximam fungi articularis declarare non dubitamus. Plerosqve autores idem qvod nos sentire, e variis medicaminibus apparet, qvæ in eo morbo adhibenda commendent; solum de sede primaria inflammationis variæ dictæ sunt sententiæ. Quum vulgares seqvelas inflammationum, in morbi initio depositionem materiæ lymphaticæ et in ulteriore stadio suppurationem, examine

anatomico semper inveniamus, multo minus est de origine inflammatoria fungi articularis dubitandum, qvam de eadem origine multorum aliorum morborum, qvorum causam proximam omnes in inflammatione chronica ponunt. Varii modi, qvibus variæ partes afficiuntur, indolem inflammatoriam morbi etiam probant; ita in tela cellulosâ exsudatio materiæ lymphaticæ et suppuratio seqvitur, in membrana capsulari secretio aucta, in cartilaginibus articularibus absorptio, et in ossibus spongiosis, qvæ ad articulationes formandas juvant, ulceratio vel caries sensu strictiori seqvitur — qvos eventus chronicam inflammationem singularum partium, qvas nominavimus, vulgo seqvi videmus.

Cap. VI.

Ætiologia morbi.

Causæ occasionales variæ sunt, quum omnia, qvæ vegetationem in tela cellulosa et mem-

branis aponeuroticis circa articulos morbose augere valeant, ad illas causas referri possint, qvapropter eandem farraginem causarum occasionalium fungi articularis, qvam fere omnium morborum, apud autores vulgo legimus.

Qvænam causa sit, cur morbus ex omnibus articulationibus genu freqventissime invadat, primum qværemus. Bell et Boyer, qvi fungum articularem in rheumaticam et scrophulosam speciem dividunt, genu ob situm magis superficialem rheumatismo ideoqvé illi fungi speciei magis obnoxium esse dicunt. Brodie qvoqve inde, qvod genu imprimis morbo obnoxium sit, eum rheumaticæ originis esse credit [1]), et Rust eandem qvoqve originem statuit, qvia rheumatismus eas præcipue partes, in qvibus fungus articularis sedem primariam habet, scilicet membranas aponeuroticas et telam cellulosam affligit [2]). Etiamsi vero genu eapropter, qvod ob situm superficialem rheumatismo magis obnoxium sit, fungo

---

[1]) l. c. Pag. 92.

[2]) Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Staatsarzneykunde. Erster Band. Pag. 351=56.

articulari tam freqventer vexetur, idem morbus etiam in aliis æqve superficialibus articulationibus, ita in manu et digitis non potuit non freqventer occurrere, id qvod tamen haud ita est. Abundantia cellulosæ et membranarum aponeuroticarum articulationem genu qvidem præ aliis articulis morbo exponere videtur, vel potius morbus in genu freqventius nascitur, qvia illud præ aliis articulis partibus tegitur, in qvibus inflammationes chronicæ sæpius oriantur et difficilius impugnentur; sed rheumatismum inter causas occasionales nec freqventissimam nec potentissimam esse, in seqventibus me illustraturum esse spero. Ex alia vero parte genu propter situm et functionem suam contusionibus et aliis læsionibus externis imprimis obnoxium esse, nemo infitias ibit, id qvod una cum singulari partium structura ad morbum apud eos, in qvibus propria dispositio prævalet, excitandum satis sufficere videtur.

Morbus præsertim ætatem puerilem et juvenilem, vel eas saltem longe freqventius qvam ætatem provectiorem vexat, unde qvoqve de rheumatica ejusdem origine dubitare licet.

Cæterum causæ disponentes fere omnes dyscrasiæ nominandæ sunt, qvæ, ubi causa occasionalis qvaliscunqve inflammationem partium mollium, articulos cingentium, movet, huic singularem indolem creare valeant, unde dissolutio partium, si hocce verbo uti licet, denuo seqvitur. Ex illis dyscrasiis scrophulosin imprimis dispositionem facere, qvin etiam persæpe, nulla causa occasionali eminente, fungum articularem solam excitare, negari haud potest. In omnibus etiam descriptionibus fungi articularis scrophulosin inter causas vulgares relatam invenimus; sed in plerisqve, autore B. Bell, illa species, qvæ ab ipso osse initium sumit, sive propria arthrocace, a scrophulosi, illa vero, qvæ in partibus mollibus coepit, sive fungus articuli stricte sic dictus, a rheumatismo originem ducere dicitur. Argumenta, qvibus hæcce sententia nitatur, sine dubio hæc ad inflammationem pronitas præbet, qvam in ossibus spongiosis et ita qvoqve in extremitatibus articularibus eorundem apud scrophulosos et in membranis aponeuroticis atqve tela cellulosa apud rheumaticos vulgo existere novimus; sed, ut mihi videtur, multæ

rationes obstant, qvo minus nostro morbo hæc observatio congruat.

Ita primum ætas puerilis et juvenilis, qvæ, et experientia duce et præclarissimis autoribus [1]) affirmantibus, fungo articulari imprimis obnoxia est, morbum revera scrophulosam, non rheumaticam, originem habere probat.

Deinde qvoqve, ut jam supra diximus, et freqventia morbi in regionibus, ubi scrophulosis endemica est, et raritas in aliis, ubi ita non est, eandem de origine sententiam confirmat [2]). Ita morbus non solum, ut in eodem loco diximus [3]), in Britannia et Hollandia, sed etiam apud nos, qvibus scrophulosis proh dolor! tam familiaris est, freqventissime occurrit. Sunt etiam autores, qvi efficaciæ dyscrasiæ scrophulosæ in fungo arti-

---

[1]) Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 500.
Brodie. Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von Holscher. Pag. 96.

[2]) Cf. Russel. Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Uebersetzt von Dr. Goldhagen. Pag. 42.

[3]) v. supra Pag. 12.

culari stricte sic dicto producendo mentionem faciunt. Ita Herdman scrophulosin unicam causam disponentem fungi esse credit [1]); Russel loco nuper citato cum eo consentit; Ruhstrat eandem cachexiam potissimam fungi causam esse dicit [2]); Rust, qvanqvam scrophulosi nullam majorem vim ad fungum promovendum qvam cæteris dyscrasiis tribuit, nihilominus inter causas disponentes habitus scrophulosi, "eine schwammig, lymphatische Constitution," et largioris usus panis avenacei et radicum solani tuberosi — qvod, ut omnibus notum, origini dyscrasiæ scrophulosæ magnopere favet — mentionem singularem facit [3]).

Amicitiæ nostri Prof. Otto occasionem fero acceptam, qvæ freqventiæ fungi articularis in nosocomio ergastuli Havniensis, cui nomen Tugt- og Forbedrings-Huset, ubi scrophulosis fere endemico modo dominatur aut sal-

---

[1]) John Herdman. Dissertation on white swelling of the joints &c. Edinburgh 1802. Langenbeck Bibliothek für die Chirurgie. 1 B. 3 St. n. 2.

[2]) Abhandlung über die weisse Kniegeschwulst. Pag. 24.

[3]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie von J. N. Rust. Siebenter Band. Pag. 574.

tem dominata est, observandæ mihi oblata fuit. Spatio circiter unius anni in illo nosocomio amputationem femoris ob fungum genu ter institui et plures eodem malo affectos vidi, qvi vel amputationem recusarunt vel ita laborarunt, ut amputatio nullam spem prosperi successus præberet.

Etiam fungum articularem, ut omnes affectiones scrophulosas, in vulgo paupere, qvi in habitaculis parvis et immundis victu parco atqve farinoso fruatur, freqventissime, in ditioribus autem, qvorum victus et habitacula salubriora sint, et apud incolas ruris morbum multo rarius occurrere videmus.

Ex omnibus dictis concludere nobis licet, fungum articularem, si non semper a scrophulosi orta sit, longe tamen freqventius originis scrophulosæ esse qvam rheumaticæ.

In variis morbi descriptionibus præter scrophulosin et rheumatismum omnes reliqvas cachexias inter causas disponentes relatas invenimus, qvas hic commemorare mihi haud opus videtur. Hasce ad morbum promovendum vim habere posse, negare nec volumus nec possumus; sed neqve in casibus, qvi mihi occurrerunt, neqve in iis, qvos apud varios

autores relatos vidi, certum nexum inter ipsum fungum articularem et aliam qvalemcunqve cachexiam mihi contigit ut invenirem.

Qvod ad *causas magis occasionales* attinet, tales morbum præcedere haud necesse est; saltem vero fungus, nulla causa occasionali manifesta, in hominibus, cachexia scrofulosa defatigatis, haud raro occurrit. Cæterum in talibus qvoqve, læsione externa qvadam prægressa, sæpissime oritur, ita post contusionem, post vulnus, post distorsionem genu, post saltum vel alium motum graviorem et ita porro. Qvo facto, inflammatio mollium genu partium oritur, qvæ deinde, præsertim si, qvod sæpe accidit, negligatur et æger situm qvietum haud teneat, sensim in fungum articularem abit. Ita freqventer, immo vulgo accidit, ut morbus longo tempore, interdum pluribus annis post talem læsionem oriatur, qvapropter dijudicare sæpe neqvimus, utrum fungus apud scrophulosos sponte ortus sit, an læsioni cuidam potius originem debeat, qvæ etiam tam parvi momenti esse potuit, ut memoriam ægroti jamdudum fugerit. Ex alia vero parte morbns sine dubio nunqvam a sola

causa externa oritur[1]); opus vero est, ut singularis dispositio, eaqve, ut supra monstrare conatus sum, plurimum scrophulosa, jam antea adsit.

Inter reliqvas causas occasionales imprimis refrigerium commemorare volumus, qvod inflammationem partium mollium, articulos cingentium, facile afferat, qvæ vero rursus in scrophulosis chronica fieri et in fungum articuli abire potest. Porro variæ metastases, qvæ febres exanthematicas, præcipue variolosam, seqvuntur, efflorescentiæ cutaneæ retropulsæ, fluxus hæmorrhoidalis vel menstrualis retentus &c., causas occasionales morbi haud dubie possunt præbere. Qvid. plura? in omnibus, qvæ inflammationem telæ cellulosæ et membranarum aponeuroticarum circa articulos movere valeant, causa occasionalis morbi hærere potest; semper vero dispositio, qvæ jam adest, majoris erit momenti, id qvod

---

[1]) Boyer ad id tantum refert sententiam, ut morbus fere nunqvam a solis causis externis oriatur; v. Traité des maladies chirurgicales &c. par Boyer, Pag. 500, et Dict. des sciences medicales. Tome LVI. Pag. 115.

jam antiqvioribus scriptoribus notum esse inde concludere possumus, qvod pleriqve inter rheumaticam et scrophulosam fungi speciem distinxerunt.

Cap. VII.

De morbis, qvibus fungus articuli confundi possit.

1. Ex omnibus morbis *arthrocace* a fungo articulari difficillime distingvitur. Hocce nomine, qvod, si originem vocabuli (ab ἄρθρον, articulatio, et κακόν, malum) respiciamus, qvalicunqve inflammationi chronicæ articulorum bene congruit et a pluribus qvoqve scriptoribus ei tribuitur, cum cl. Rust appellare volumus *inflammationem chronicam extremitatum spongiosarum ossium, qvæ articulos formant, universalem aut ad singulas partes pertinentem dislocationem et destructio-*

nem cariosam (cariem centralem) earundem vulgo afferentem[1]). Idem morbus est, cui antiqviores autores nomen spinæ ventosæ dederunt, qvemqve B. Bell et Boyer nomine tumoris albi scrophulosi descripserunt; qvin etiam, ut jam supra monstravimus, plures omnino nullum discrimen inter eum et fungum articularem proprie sic dictum faciunt, utrumqve morbum nomine tumoris albi appellantes. Nihilominus uterqve morbus, præsertim in prioribus stadiis, certa præbet signa, qvibus inter utrumqve distingvere haud difficile nobis sit. Coeterum arthrocace imprimis articulationem femoris (coxarthrocace) et humeri (omarthrocace), ex omnibus freqventissime femoris occupat; nonnunqvam tamen in reliqvis qvoqve articulationibus sedem habere potest, ita qvoqve in articulatione genu, ubi gonarthrocace nominatur. Rust arthrocacem tamqvam qvatuor stadia percurrentem in libro citato describit, qvæ vero in certa stadia dispositio in gonarthrocace haud æqve perspicua est ac in coxarthrocace et omarthrocace.

---

[1]) Arthrokakologie von J. N. Rust.

Autoribus Rust et Brodie *gonarlhrocace* a dolore leviore et profundiore, sensum qvasi terebrationis præbente, coepit, cui id singulare est, ut spatium minus, qvam fungus articuli, occupet et *in unum locum*, secundum Bell sæpissime ad medium articulum [1]), *magis conclusus et limitatus sit.* Neqve tamen in eo omnes consentiunt. Ita Bell dolorem in tumore albo scrophuloso graviorem, qvam in rheumatico esse contendit, et qvi in "Theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie von Dr. I. N. Rust" arthrocacen descripsit, dolorem nunc graviorem et magis expansum esse dicit, ita ut et ad femur et ad crus extendatur, nunc magis obtusum, profundum et finibus mediæ articulationis limitatum [2]). Nunc a dolore levissimo coepit, qvi paulatim et lente augetur; nunc prorsus subito, nocturno imprimis tempore, oritur; semper vero dolores vespere exacerbari, qvalicunqve motu articuli, maxime completa cruris extensione augeri et

---

[1]) A. Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints by Benjamin Bell. Pag. 447.

[2]) l. c. Zweiter Band. Pag. 328.

flexione membri mitigari solent. In eo autem arthrocace a fungo articuli præcipue differt, qvod in initio morbi dolores omni intumescentia membri carent. In ulteriore morbi progressu tumor articuli qvidem oritur, qvi tamen, qvippe quum in intumescentia extremitatum ipsorum ossium, præcipue condylorum femoris, positus sit, aliqvamdiu modo parvus, durus et inæqvalis est, sensim vero cum doloribus profundissimis, semper magis magisqve ingravescentibus, lente augetur; cæterum qvoqve iste tumor nunc totum articuli ambitum, nunc modo unum latus ejusdem, et sæpius interius occupat. Longiore temporis spatio elapso (ab aliqvot hebdomadibus usqve ad plures menses), partes molles extra articulum sitæ sub vehementioribus et semper ingravescentibus doloribus, magis rodentibus et pungentibus, simul afficiuntur; musculi flexores contrahuntur et rigescunt; cutis tensa, nitida et varicosa fit et deniqve inflammatur; tumor externus magis elasticus a sero lymphatico, in cellulosa effuso, oritur, et totum membrum emaciatur, qvo facto ipse tumor magis prominet. Tandem abscessus in partibus mollibus formantur, qvi sponte aperiuntur, icho-

rem tenuem, particulis spissioribus mixtum, fundunt et in fistulas atqve sinuositates, per qvas inducti specilli ope ossa denudata et carie affecta inveniuntur, abeunt; accedit febris hectica, extremitas affecta oedemate corripitur, et æger, nisi amputatio tempestive fiat, ita occumbit. Rust gangrænam, cito exortam, levem a morbo relictum nexum inter femur et crus omnino tollere et ita exarticulationem cruris præter artis opem efficere ter vidit [1]).

Sectione membri post mortem vel post amputationem femoris instituta in priore morbi stadio partes molles omnino vel pæne integras invenimus, extremitates ossium vero aliqvantum tumidas, magis spongiosas et molliores, qvam in statu naturali, ita ut cultro eas perscindere possimus. Qva affectione ossium ingravescente, longum nihilominus durare poterit, priusqvam cartilagines articulares afficiuntur [2]). In ulteriore morbi stadio extre-

---

[1]) l. c. Pag. 330.

[2]) A Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints by B. Bell. Pag. 450. Dict. des sciences medicales. Tome LVI Pag. 115.

mitates ossium qvasi colliqvescunt et massam tenuem, mollem atqve spongiosam formant; cartilagines in ulcerationem abeunt, et tandem partes molles, extra articulum sitæ, corrumpuntur et a profundioribus cutem versus eandem destructionem, ac in fungo articulari, patiuntur.

Si ad ætiologiam utriusqve morbi respicimus, arthrocacen a fungo distingvere etiam difficilius nobis erit, qvia in hominibus, qvi scrophulis laborant, dispositionem et ad arthrocacen et ad fungum articularem exstare videmus, qvippe quum morbus scrophulosus ossa spongiosa ideoqve extremitates articulares ossium afficere amet; attamen, si experientiæ meæ fidem ponere licet, arthrocace in genu, ubi fungus articularis adeo freqvens est, multo rarius sedem habet, in articulationibus vero et pedis et digitorum manus pedisqve freqventius occurrit. Utrum coxalgia et omalgia, ut Rust ait [1]), ab affectione extremitatis superioris ossis femoris et humeri, an, ut credit Brodie,

---

[1]) Arthrokakologie von J. N. Rust. Wien 1817. Pag. 19. § 25.

ab affectione cartilaginum articularium oriatur, ab hacce dissertatione alienum est qværere.

Monstravimus ita, arthrocacen ab inflammatione telæ medullaris ossium, cum intumescentia extremitatum ossium juncta, primo oriri, — qvæ inflammatio deinde in ulcerationem ossis (cariem centralem) abeat, — et modo in ulteriore morbi stadio inflammationem partes molles, articulum cingentes, invadere; qvæ quum recte tenemus, distinctio arthrocaces a fungo articuli in priore morbi stadio haud erit difficilis; ut vero in ulteriore stadio diagnosin veram ponamus, vel accuratissimo examine primæ originis et ulterioris progressus morbi opus erit. Sicut autem, ut curationem aptissimam adhibeamus, in priore morbi stadio maximi erit momenti inter utrumqve morbum recte distingvere, ita in ulteriore stadio, ubi uterqve morbus eandem reqvirat curam, haud magni refert.

Signa præcipua, e qvibus vera diagnosis sumitur, sunt dolor et tumor, qvi in utroqve morbo sunt diversi. Ita *in fungo articulari* ægrotus difficultatem membri movendi, insolitam plenitudinem et calorem articuli primo sentit; deinde dolor oritur, qvi imprimis motu

articuli percipitur, magis ardens et tendens et ad totam articulationem expansus; deniqve tumor magnus, elasticus, fungosus apparet, qvi totum articulationis ambitum occupat, sæpe etiam extra limites ejusdem excedens. — *In arthrocace* jam ab initio morbi dolor profundus, sensum qvasi terebrationis præbens, percipitur, qvi uno articuli loco limitatus est, neqve cum ulla intumescentia conjunctus; posthac articulus tumet qvidem, qvi tumor autem haud totum articulum occupat, nedum eum excedat, sed in uno aliove loco prominet — in gonarthrocace plerumqve ad condylum internum femoris; coeterum attactu durus percipitur, nec, ut in fungo articuli, fungosus et elasticus [1]).

II). Præterea fungus articuli cum *arthrochondritide* ɔ: inflammatione cartilaginum articularium confundi potest. Has, qvippe parum vitales, inflammationi haud obnoxias esse olim vulgo creditum fuit, qvin etiam singuli

---

[3]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie von J. N. Rust. Zweiter Band. Pag. 326.
Aufsätze und Abhandlungen aus dem Gebiete der Medicin, Chirurgie und Staatsarzneykunde von J. N. Rust. Erster Band. Pag. 351.

recentiores scriptores, e. g. Russel[1]), veram cartilaginum inflammationem observatam fuisse negant. E recentioribus tamen examinationibus pathologicis plane liqvet, eas absorptionem et ulcerationem revera pati posse, qvæ vero affectio absqve inflammatione prægressa adesse non possit. Ita ait Meckel[2]), cartilagines in morbis articulorum rubescere, intumescere, emolliri et dissolvi posse, cui tamen corruptioni id singulare esse, ut veram suppurationem cum ulceratione earum junctam esse haud necesse sit. Etiam Desault[3]), Rust[4]) pluresqve autores, cartilagines admodum tumere, in massam rubescentem et pastaceam mutari, sæpe qvoqve omnino destrui atqve absorberi posse referunt. Ex omnibus mihi notis scriptoribus Brodie[5]) inflammationem,

---

1) Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Uebersetzt von Dr. Goldhagen. Pag. 171.

2) Handbuch der menschlichen Anatomie. Berlin und Halle. 1815. 1 Bd. § 269.

3) Chirurgischer Nachlaſs, herausgegeben von Bichat, übersetzt von Wardenburg. Gøttingen 1800. Erster Band. Pag. 163.

4) Arthrokakologie von J. N. Rust. Pag. 12 § 16.

5) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von Holscher. Cap. IV

qvæ in cartilaginibus articularibus sedem primariam habet, primus exacte et accurate descripsit, qvæ vero descriptio ei, qvam Rust arthrocaces seu inflammationis ipsarum extremitatum ossium præstitit, sat similis est. In eo tantum revera dissentiunt, qvod Brodie cartilagines articulares, qvæ ossa tegunt, Rust ipsa ossa vulgo primum affici credit; uterqve, vir magnæ autoritatis, sententiam suam examine anatomico articulationum affectarum firmare conatur. Hanc dissensionem minus mirari licebit, si cum eo [1]), qvi in "Theoretisch-practisches Handbuch der Chirurgie von Dr. I. N. Rust" arthrocacen descripsit, inflammationem aut in ipsis ossibus, aut in cartilaginibus articularibus (aut, ut infra videbimus, in membrana synoviali) sedem primariam posse habere, statuerimus — id qvod statuere sine dubio fas est; sed maxime dubitandum est, num inter eas species inflammationis chronicæ articuli certis signis distingvi possit, id qvod tamen ad curationem morbi minoris est momenti.

---

[1]) l. c. Zweiter Bd. Pag. 345.

Qvæ Brodie et qvi eum seqvuntur, Syme[1]) atqve Scott[2]), arthrochondritidis signa esse dicunt, ab iis, qvæ, autore Rust, arthrocacen indicare diximus, haud multum differunt. Ita æger jam ab initio morbi dolorem articuli profundum et rodentem, qvi sæpe uno loco limitatus sit et, quum superficies articulares ossium contra se invicem premantur, semper augeatur, sæpe qvoqve dolores, alias extremitatis partes affligentes — (id qvod tamen de morbo articulationem coxæ afficiente præcipue valet) — et debilitatem totius extremitatis qveri dicitur. Dolor continuo augetur et, autore Scott, ubi morbus in genu sedem habet, extremitatem superiorem tibiæ imprimis occupat, tumor autem modo diu post ortum ipsius morbi accedit; cæterum eadem symptomata eodem ordine nascuntur et in ulteriore morbi stadio omnino eædem corrup-

---

[1]) Abhandlung über die Ausschneidung krankhafter Gelenke. — Aus dem Englischen übersetzt. Chirurgische Handbibliothek Vierzehnter Bd. Pag. 4.

[1]) Chirurgische Beobachtungen über die Behandlung von chronischer Entzündung in verschiedenen Gebilden, besonders in Beziehung auf Krankheiten der Gelenke Aus dem Englischen. Chir. Handbibl. Eilfter Bd. Pag. 56.

tiones atqve destructiones inveniuntur, qvas in ipsa arthrocace adesse supra retuli. Brodie in priore morbi stadio, ulceratione cartilaginum nondum coëpta, has structuram mollem et fibrosam assecutas se invenisse credit.

Monstravimus jam, inter chronicam inflammationem cartilaginum articularium et extremitatum articularium ossium vix e symptomatibus posse distingvi, unde etiam apparet, fungum articuli cum arthrochondritide in priore morbi stadio haud facile posse confundi; in diagnosin inter hos morbos omnia conveniunt, qvæ de distinctione inter fungum articuli et arthrocacen supra jam diximus.

III). Rarius qvidem accidit, ut fungus articuli cum *arthromeningitide* s. inflammatione membranæ capsularis articulorum confundatur. Iste morbus, qvi in omnibus articulationibus, et omnium freqventissime in articulatione genu offenditur, aut acutum aut, qvod sæpius fit, chronicum habet decursum; si acutus est, cum fungo articuli confundi neqvit, qvapropter modo chronicæ morbi speciei hic mentionem faciam. A doloribus vulgo incipit, qvi qvidem totam articulationem occupant, sed ut plurimum in uno certo loco ve-

lementissimi vel saltem, si digitis is locus premitur, molestissimi sunt; coeterum vero vis eorum varia est, ita ut aliis ægris modo parum incommodi faciant, alios violenter vexent et omni motui membri graviter obstent; ab initio morbi leviores esse solent et per octo vel decem dies continuo augentur, priusqvam ad fastigium perveniant [1]. Paucis diebus elapsis (autore Brodie jam biduo primo), regio articuli tumet, non solum ob volumen ipsius membranæ capsularis et cellulosæ, eam cingentis, inflammatione auctum, sed imprimis ob majorem secretionem et collectionem synoviæ, inflammationis seqvelam — qvapropter in articulis magis superficialibus, imprimis in genu, tumor fluctuationem manifestam præbet. Hæcce fluctuatio, cui similem fungus articuli suo tempore præbet [2], ab initio sat manifesta est, licet tamen obscurior, qvam in hydrope articuli s. hydarthro; posthac non ita sentietur, quum et ipsa membrana synovialis et cellulosa, eam tegens, ope lymphæ plasticæ, in-

---

[1]) Cf. Brodie l. c. Pag. 21.

[2]) v. supra Pag. 25.

flammatione depositæ, incrassetur adeoqve sensum liqvidi, in membrana inclusi, difficiliorem nobis reddat.

Ut vero inter eum morbum et fungum articuli potius distingvatur, ad figuram tumoris respiciendum est, qvæ in arthromeningitide ad partes circumjectas, qvatenus dilatationi membranæ suo loco aut obstent aut non obstent, sese conformat. Ita in arthromeningitide genu tumor præcipue in parte inferiore femoris sub ligamento patellæ superiore et juxta hoc prominet, qvia hoc in loco cellulosa maxime cedit, et, qvod bene animadvertendum est, tumor limites articuli nunqvam excedit; ob eandem rationem in utroqve latere ligamenti patellæ inferioris, non tamen æqve manifestus, observatur. Nisi in his locis tumor nusqvam manifestus erit; itáqve ille morbus qvoad formam tumoris a fungo articulari prorsus differt. Præter fluctuationem levem aliæ qvoqve rationes utriusqve morbi confundendi occasionem præbere possunt, scilicet qvod uterqve in genu freqventissime occurrit et uterqve in hominibus cachecticis, præcipue scrophulosis, ab iisdem causis occa-

sionalibus oritur [1]). Ideo haud mirum est, qvod Scott, qvi inter morbos, qvi in ipso articulo et qvi extra articulum sedem habent, haud recte distingvit, etiam arthromeningitidi nomen tumoris albi tribuit [2]). Cæterum hicce morbus, præsertim si homines scrophulosos corripit, qvod freqventissimum est, valde perniciosus est; tunc enim ipsas extremitates ossium earumqve cartilagines articulares vulgo afficiet, febrem hecticam posthac excitabit et, amputatione femoris neglecta, mortem deniqve afferet; in dexterioribus casibus, sicut in arthrocace, anchylosis vera seqvetur.

IV). Liceat hoc in loco paucis verbis commemorare morbum, qvi cum fungo articulari rarius qvidem confunditur, de qvo vero omnes fere scriptores prorsus tacent, affectionem dico articulorum a gonorrhoea metastaticam, cui cum Rust, qvi eam modo paucis lineis describit [3]), nomen *arthroceles blennorrhagicæ* s. *tumoris blennorrhagici genu*

---

[1]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie von Rust. Zweiter Bd. Pag. 379.

[2]) Chir. Beobachtungen &c. von J. Scott. Chir. Handbibliothek. Eilfter Bd.

[3]) Handbuch der Chirurgie. Zweiter Bd. Pag. 368.

tribuam. Cæterum modo Schvediauer[1]) Hecker[2]), Brodie[3]), qvi in libro sæpe citato qvinqve tales casus refert, et deniqve Holscher[4]), qvi sese duos vidisse casus ait, de eo morbo loqvuntur. Omnes septem ægri primum vulgari gonorrhoea laborabant, qvam deinde ophthalmoblennorrhoea et hanc rursus inflammatio membranæ synovialis, non solum genu sed etiam plurium articulorum, seqvebatur. Ista arthromeningitis doloribus vehementissimis atqve tumore, symptomatibus febrilibus et gastricis juncto, insignis erat, qvæ qvidem molestiæ semper plures hebdomades durabant et rigiditatem membrorum afflictorum, plures mensas, qvin etiam totum annum, priusqvam sanatio restituta esset, assiduam relinqvebant. Mihi qvidem duo tales casus oc-

---

[1]) Traité complet sur les symptomes, les effets, la nature et le traitement des maladies syphilitiqves. 4me edit. T. 1. Pag 200.

[2]) Deutliche Anweisung die venerische Krankheit genau zu erkennen und zu behandeln. Editio IIda. Pag. 268.

[3]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von Holscher. Pag. 60 = 68.

[4]) l. c. Pag. 68.

currerunt, qvos breviter commemorare mihi liceat. In altero etiam, dum balsamum copaivæ ob gonorrhoeam sumebatur, ophthalmia gonorrhoica oriebatur, sub cujus curatione tumor valde dolorificus totam regionem unius genu subito arripuit, articuli motum omnino excludens. Dolores ægrum adeo vexabant, ut somnum per plures noctes prorsus fugarent, neqve æger etiam levissimum articuli attactum pati posset. Sensim qvidem dolores decrescebant; multum vero temporis consumptum est, priusqvam tumor omnino evanuisset et usus membri restitutus esset In altero casu genu, dum balsamum copaivæ ob gonorrhoeam sumebatur, simili modo affligebatur, *nulla vero oculorum affectione prægressa*, qva re inter hunc casum et eos, qvos Brodie atqve Holscher referunt, magnum esse discrimen videmus; coeterum et decursus et eventus morbi idem fuit, qvi in altero casu a me relato. In utroqve ægro affectio genu post balsamum copaivæ jam plures dies sumtum et sub effluxu ex urethra imminuto apparuit, unde illud malum metastaticum fuisse concludere fas erit; memoria dignissimus autem erit consensus inter membranam mucosam urethræ

et articulationem genu intercedens. Quum vero morbus dictus a causa optime cognita subito oriatur et prorsus alio modo decurrat, qvam fungus articularis, hi morbi inter se vix poterunt confundi, nisi forte, ratione causæ prægressæ et ipsius originis morbi haud sufficienter habita, tumor et rigiditas, ab arthrocele blennorrhagica relicta, cum fungo articuli confundatur.

V). Fungus etiam confundi poterit cum *hydarthro* s. *hydrope articuli*, qvi ex omnibus articulis genu qvoqve freqventissime capit et revera modo arthromeningitidem conseqvitur, in qvo synovia solito copiosior secernitur et simul magis serosa fit. Qvi morbus autem a fungo articuli partim eo facile distingvitur, qvod tumor maxime sub ligamento patellæ superiore & juxta hoc, præterea minus juxta ligamentum patellæ inferius, haud vero in aliis articuli locis prominet, partim qvoqve eo, qvod tumor manifestam et bene perspicuam fluctuationem præbet, et patella sursum elevata est, ita ut in liqvido collecto facile deprimi possit.

VI). Neqve cum *rheumatica affectione articulorum* fungus confundi poterit, si ad

modum, qvo illa oritur et procedit, respexerimus. Ita rheumatismus vulgo plures articulationes simul invadit et ab altera ad alteram vagatur; tumor plerumqve jam ab initio calorem auctum, ruborem et sensibilitatem præternaturalem affert. Etiam tumores articulares chronici, qvos rheumatismus sæpe relinqvit, eo modo, qvo oriuntur, a fungo facile distingvuntur; cæterum haud adeo elasticos et fungosos, sed potius oedematosos attactui se præbent, minus dolent, nec cum ea rigiditate musculorum et tendinum, qva fungus articularis, juncti sunt.

VII). Etiam minus confundi poterit cum *hygromate genu* s. *hygromate cystico patellæ*, ubi liqvidum serosum in bursa mucosa subcutanea, supra patellam sita, colligitur, et ubi basis tumoris spatio marginis patellæ semper circumscripta est; neqve timendum est, ne confundatur cum *abscessibus articulorum*, cum *corporibus alienis articulorum* &c.

VIII). Sine dubio etiam *osteosarcoma* inferioris partis femoris vel superioris extremitatis ossium cruris fungo articuli haud absimile esse poterit, imprimis in ulteriore suo stadio, ubi partes molles, ossi affecto proximæ,

vexari coeperunt; sed, quum morbus semper ab ipso osse nascatur, natusqve semper finibus unius partis articulationis limitatus sit, posthac vero, ubi partes molles afficiuntur, longe graviores afferat dolores, qvam qvi in fungo articulari sentiantur, haud magna unqvam erit similitudo inter osteosarcoma et fungum articuli. **Russel** singularem describit morbum, cui nullum aliud nomen qvam "rarum tumorem genu" tribuit [1]); ut vero ex ipsa descriptione minus clara apparere videtur, nil nisi osteosarcoma extremitatis superioris tibiæ et fibulæ eum fuisse credere fas est.

Cap. VIII.

Prognosis fungi articularis.

Morbum perniciosissimum esse et rarissime ad faustum exitum perduci, inter omnes convenit; e varia vero notione morbi, qvam va-

---

[1]) Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Pag. 52-60.

rii scriptores præ se ferunt, seqvatur necesse est, ut etiam de gradu malignitatis variæ sint sententiæ. In prognosi statuenda ad solum fungum articuli nec simul ad arthrocacen oportet nos respicere. Quum fungus, ut supra vidimus, sæpissime, et haud scio an semper, in vitio constitutionis originem habeat, prognosis partim a corruptione locali partim ab affectione totius organismi dependebit. Brodie morbum, qvem a corruptione membranæ capsularis oriri credit, et qvem revera fungum articularem esse sæpius diximus, omnino insanabilem esse nec ullam curationem plus valere contendit, qvam ut progressum morbi retardet et symptomata leviter leniat, sed amputationem in omnibus casibus tandem necessariam fieri[1]). Verissime hunc morbum, in articulis proprium iisqve singularem, cum qvibusdam aliis morbis comparat, qvi partibus certæ cujusdam structuræ proprii sint, cum tuberculis dico pulmonum, scirrho mammæ, sarcomate medullari s. fungo medullari

---

[1]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke. Uebersetzt von olscher. Pag 90.

testiculi, aliisqve, in qvibus structura partis affectæ mutetur, et textura nova formetur [1]). Ex iis morbis imprimis tubercula pulmonum maximam cum fungo articulari habent similitudinem, qvippe quum uterqve morbus in hominibus scrophulosis sedem figere amet Brodie vero prognosin nimis ancipitem ex mea sententia ponit.

Ubi corpus haud nimis mali habitus est, et ubi conditiones, qvæ cachexiæ scrophulosæ faveant, removeri possunt, morbus, si in primo stadio adhuc est, omnino qvidem sanari potest, præsertim si a læsione externa proxime ortus est; raro autem æger tam tempestive et conditionibus tam lætis medicum petit, ut cura ejus successum prosperum trahat. In secundo stadio morbus vix unqvam perfectam sanationem admittit; sed, ubi habitus corporis non admodum prostratus est, interdum, apta medicatione adhibita, ulteriorem morbi progressum nobis continget ut inhibeamus. Ubi cura adhibita est, qva dolores et signa inflammationis, qvæ adfuerunt, remota sunt, æger valetudine sat bona frui poterit, ita ut tumor

---

[1]) l. c. Pag 90.

articuli permaneat et libero ejusdem motui semper obstet, et æger nonnisi moleste incedat Ea anchylosis major vel minor esse potest, semper vero incompleta est, quum non a vero nexu extremitatum ossium, articulum formantium, sed, ut supra diximus, a materia aliena, in cellulosa et membranis aponeuroticis deposita, pendeat, qvo facto musculi et tendines a libero motu prohibentur. Nihilominus talis tranqvillitas et qvasi institio morbi modo brevis est, quum læsio externa qvaliscunqve vel alia causa occasionalis novam inflammationem in regione articuli excitet, qvo facto morbus iterum denuo procedit atqve increscit. Refert ita Zöhrer, se senem nonaginta sex annos natum novisse, qvi jam per triginta annos talem ferret tumorem; motu vehementiore, ait, dolores et inflammatio articuli semper oriebantur, et interdum ulcera parva apparebant, qvæ vero molestiæ qviete servata et compressione emplastrorum adhibitorum facta rursus cessabant[1]).

---

[1]) Monographie der weissen Geschwulst am Kniegelenke von A. F. Zohrer Wien 1828. Pag. 69.

In tertio morbi stadio partes affectæ jam adeo sunt destructæ, ut nulla spes restet aut morbi sanandi aut continui ejusdem progressus impediendi. Unicum remedium, qvo vita ægri servari possit, amputatio est femoris, qvæ qvidem etiam sæpe sine fructu fit, ægro hecticam mortem occumbente. Tum sectione cadaveris instituta vel tubercula pulmonum vel intumescentia glandularum mesenterii invenitur [1]), qvo magis, originem fungi articularis esse scrophulosam, concludere fas est.

Si vero anatomiæ pathologicæ, recentiore tempore imprimis florentis, et veræ inter fungum articuli et arthrocacen distinctionis, exinde ductæ, rationem habemus, sperandum est, fore, ut prognosis minus ambigua fiat et ipsa medela magis prosperum trahat successum.

---

[1]) Cf. Dict. des sciences medicales Tome LVI. Pag. 135. Boyer Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 531.

Cap. IX.

De fungo articulari curando.

Morbum, etiamsi a læsione externa ortus sit, nunqvam vel saltem rarissime plane localem esse, sed dyscrasia qvalicunqve, fere semper scrophulosa, vulgo conjunctum esse, semper tenere debemus. Qvapropter maximi erit momenti, ut, priusqvam curam mali topici adeamus, valetudinem universalem ægri accuratissimo examini subjiciamus. Ita morbus, cum affectione organorum respirationis vel viscerum abdominis sæpe conjunctus est, cujus complicationis ratio præcipua habeatur semper necesse erit. Lisfranc experientia sua duce arctissimam inter articulationes extremitatum inferiorum et viscera abdominis sympathiam existere credit, qvapropter, ubi æger affectione organorum abdominis simul laboret, ne hoc malum augeatur, non solum omni fungi genu vel pedis sanandi tentamine interdicit, sed etiam, ubi tale infaustum tentamen factum fuerit, ægro svadet, ut multum ambulet, qvo morbus irritatione articuli iterum prorum-

pat); ipse vero fungus articuli tam gravis et perniciosus est, ut tale consilium medicum sine dubio haud oporteat seqvi. Cæterum experientia probatum est, in hoc morbo, ut in aliis malis scrophulosis, viscera pectoris et abdominis sæpe simul affecta esse, eamqve complicationem ad morbum curandum, imprimis, qvod infra monstrabitur, ad decernendum, utrum amputatio indicata sit necne, multum valere.

Igitur cura et universali valetudini ægroti et locali malo, qvo laborat[1], apta sit, sive, ut aliis verbis utar, et universalis sit et topica. *Cura universalis* ad valetudinem ægri universalem componenda est — itaqve vulgo antiscrophulosa erit — adeo tamen, ut et stadii morbi et ipsius modi atqve gradus, qvo æger morbo vexetur, certam habeamus rationem. — Hanc vero partem curæ in hacce monographia omittere haud dubitantes ad *curam localem* jam convertemur. Qvod a natura et causa proxima morbi, de qva supra diximus, seqvitur, inflammatio specifica par-

---

[1]) Archives générales de medecine, Mai 1826. Revue medicale. Avril 1835.

tium mollium, qvæ articulum cingunt formantqve, primum impugnanda, deinde seqvelæ ejusdem removendæ sunt, qvod ita fit, ut massa præternaturalis deposita, absorptione aucta, iterum suscipiatur. Utriqve huic indicationi varia medicamina respondere poterunt, et in fungo, ut in omnibus aliis morbis; electio medicaminum a variis singularibus conditionibus pendebit, qvapropter scriptoribus, qvi unam curandi methodum in omnibus casibus commendent, e. g. Scott [1]) assentiri haud possumus.

Perfecta membri affecti qvies in toto morbi decursu maximi semper erit momenti, quum omnis motus inflammationem augeat et morbum in pejus mutet. Ubi vero, inflammatione sublata, rigiditas membri relicta est, æger ad completam anchylosin avertendam recte faciet, si, qvatenus sine accedente dolore fieri poterit, membrum movebit; ex qvo

---

[1]) Chirurgische Beobachtungen über die Behandlung von chronischer Entzündung in verschiedenen Gebilden, besonders in Beziehung auf Krankheiten der Gelenke, von John Scott. Chir. Handbibl. Eilfter Band. Pag. 83 et seqv.

autem æger dolorem articuli perceperit, ab omni motu desistere mox debebit, ne inflammatio iterum oriatur.

Cæterum cura localis pro stadio morbi etiam variat. In primo stadio, ubi signa inflammatoria prævalent, cura antiphlogistica esse debet. Sangvinis missiones universales raro commodæ sunt, nisi fungus ab inflammatione magis acuta, nondum sublata, originem ducit; hirudines vero in primo stadio summo usui sunt, earumqve pro ætate ægri, pro habitu corporis, pro causis occasionalibus, pro vehementia symptomatum morbi, varius numerus variis vicibus applicandus est. Ad repetitam hirudinum applicationem indicandam dolor et sensibilitas articuli præcipui erit momenti, qvippe quum inter signa localia illud imprimis inflammationem adesse monstret. Qvot vero applicandæ sint, a singularibus conditionibus pendet; omnino haud nimis paucæ adhibendæ sunt; octo vel duodecim adultiori plerumqve sufficient, et in primo stadio sæpe tertio qvoqve vel qvarto die aliqvoties applicari eas oportet. Russel, ne vires ægri nimis debilitarentur, ut minor potius numerus

(4—5), sed is freqventius applicetur, svadet [1]). Plures scriptores, uti Latta [2]), Léveille [3]), Bell [4]) Brodie [5]), in fungo aliisqve morbis inflammatoriis articulationum scarificationes hirudinibus præferunt. Ita Bell commendat, ut ope cucurbitarum in utroqve patellæ latere applicatarum saltem octo vel decem unciæ sangvinis emittantur; credit enim, hirudines, qvæ gravem intumescentiam, alia remedia localia diutius excludentem, sæpe producant, non admitti deberi; et Brodie scarificationes, qvæ celeriorem et ex sua experientia ideo qvoqve benigniorem missionem sangvinis efficiant, hirudinibus præfert. Cucurbitas in talibus casibus nec ipse unqvam adhibui nec adhibitas vidi, et persvasum mihi habeo, eas, qvia dolores plures et ex mea sententia ma-

---

[1]) Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Pag. 80.

[2]) System of surgery Vol. 1. Cap. 6.

[3]) Nouvelle doctrine chirurgicale. Tome II. Pag. 608.

[4]) Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings. Pag. 459.

[5]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke von Brodie. Uebersetzt von Holscher. Pag. 37.

jorem irritationem topicam adferant, hirudinibus postponendas esse.

In primo qvoqve stadio, si inflammatio topica, præsertim a causa externa orta, manifesta est, præter locales missiones sangvinis fomenta frigida applicanda sunt, ut ex aqva frigida aceto mixta, aqva saturnina, fomentis Schmuckeri aliisqve; si vero inflammatio jam ab initio morbi magis occulta et chronica est, vel ubi inflammatio magis acuta illis remediis jam sedata est, inunctiones mercuriales aptissimæ sine dubio erunt. Eas imprimis Bell, qvi tamen usum missionum sangvinis localium et vesicatoriorum pluries applicatorum præcedere vult, meritis laudibus tollit [1]). Linimento tam miti, ut drachmæ duæ sine salivatione accedente ter qvotidie adhibeantur, utitur, et inunctionem diu continuatam maxime commendat, ita, ut saltem tota hora pro singulis inunctionibus adhibeatur. Alii de fructibus earum inunctionum a Bell dissentiunt. Ita credit Boyer, utilitatem earum tantummodo longæ frictioni deberi, et usum meri olei olivarum pro ung-

[1]) l. c. Pag. 462.

vento mercuriali svadet [1]). Russel sese nullum auxilium ex inunctione hydrargyri vidisse ait, eamqve præ se fert sententiam, ut origo scrophulosa fungi articularis usum illius haud admittat [2]); ea vero sententia experientiæ vulgari contraria est, qvippe quum hydrargyrum, adeo adhibitum, ut organismum non graviter afficiat, in malis scrophulosis, imprimis inflammatoriæ indolis, sæpe maximo usui sit. Etiam, quum fungus a substantia præternaturali per inflammationem specificam deposita pendet, ab hydrargyro, utpote medicamine ad absorptionem augendam validissimo, fructus utilissimos exspectare fas est.

Inflammatione prorsus sublata et morbo non amplius increscente, iodine præcipue aptum est [3]), qvod etiam vim systematis absorbentis magnopere augeat. Ita vel ipso iodine vel kali hydriodico cum axungia ad ungventum mixto (ʒβ cum ℥iβ) utimur, cu-

---

[1]) Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatriéme. Pag. 510

[2]) l. c. Pag. 92.

[3]) Cf. Abhandlung über die weiſse Kniegeschwulst von Ruhstrat. Pag. 32.

jus circiter drachma in toto ambitu genu bis terve in singulos dies inungitur; ipse tale ungventum in nonnullis casibus cum fructu adhibitum vidi.

Ubi remedia dicta frustra jam adhibita sunt et fungus nihilo minus in *secundum stadium* pervenit, una cum internis remediis fortissimis resolventibus, in qvibus præscribendis ad vires et ad universalem valetudinem ægroti semper etiam respiciendum est, remedia externa adhibenda sunt, qvæ absorptioni massæ præternaturalis jam depositæ faveant et ulteriorem secretionem morbosam cohibeant. Inter remedia, qvibus talis vis inest, epispastica externa primum locum tenent, qvæ vi cutis augenda activitatem morbosam partium profundiorum prorsus tollere vel saltem minuere valent. Ita imprimis vesicatoria commemorare volumus, qvæ fere omnes medici adversus fungum articuli commendant. Eis vario qvoqve modo uti possumus, aut, ut imprimis Russel vult [1]), emplastro vesicatorio amplo, totum tumorem tegente, ita adhibito, ut suppuratio seqvens ungvento qvodam irri-

[1]) l. c. Pag. 105.

tante, e. g. ungvento cantharidum vel cerato sabinæ, sustineatur; aut ut Latta[1]) et S. Cooper[2]) commendant, emplastris vesicatoriis, qvæ dimidiæ tumoris parti alternis vicibus imponuntur; aut deniqve, ut apud nos est consvetudo, parvis vesicatoriis utimur, ita ut primo unum in utroqve tumoris latere applicemus, tum, suppuratione cessante, alterum utriqve lateri imponamus et ita porro, adeo ut omnia circum ipsum tumorem orbem efficiant. Sine dubio nil interest, utram eorum applicandorum methodum præferre velimus; notatu autem dignum credo, vesicatoria, si nostro more adhibeantur, non nimis parva esse debere. Indoles atqve vehementia morbi et effectus, qvem vesicatoria in eum præbebunt, indicabit, qvamdiu in usu eorum perseverandum sit; semper vero ad fructum exoptatum præstandum usus diuturnus opus est, nec, ubi haud cito auxilium ferunt, ab usu eorum desistere nos oportet, quum nonnisi continua inflammatione et secretione præternaturali cutis

---

[1]) System of surgery. Vol. I. Chap. 6.

[2]) Neuestes Handbuch der Chirurgie. Art. "Gelenke. Krankheiten derselben."

malum profundius hærens tollatur. Interdum tamen ista vesicatoria, vel si æger valde sensibilis vel si inflammatio nondum satis minuta est, justo majorem excitant irritationem, doloribus auctis et symptomatibus febrilibus insignem; tunc qvidem ab usu illorum, saltem ad tempus, desistere necesse est.

Ut vesicatoria ita qvoqve alia diversa epispastica agunt, illis tamen vulgo non præferenda; ita ungventum stibiatum, emplastrum stibiatum, cortex mezerei, linimentum qvoddam, a Brodie laudatum [1]), qvod ex acidi sulphurici una parte et olei olivarum tribus partibus constat, et ita porro. Alii fonticulos commendant in superiore et externa cruris parte inter condylum externum tibiæ et capitulum fibulæ aut causticorum aut moxæ ope applicatos, talis spatii, ut tria vel qvatuor pisa capere possint; vis autem irritandi, qvæ illis inest, efficaciæ vesicatoriorum neqvaqvam par est, nec effectui, qvi seqvitur, ita accommodari potest. Russel illos ad morbi recidi-

---

[1]) Pathologische und chirurgische Beobachtungen über die Krankheiten der Gelenke von B. C. Brodie. Uebersetzt von Holscher. Pag 40.

vi incrementum avertendum utiliores esse, vel saltem nonnisi in casibus minus gravibus et lentius decurrentibus, vel ubi vehementia morbi remediis fortioribus jam minuta est, adhibendos esse credit [1]). Idem qvoqve de setaceis valet. Pouteau e fonticulis, moxæ cylindricæ ope in utroqve latere patellæ applicatis, optimos fructus se percepisse dicit [2]), alii vero omnino nullum fructum ex iis, adeo adhibitis, tulerunt [3]), et Boyer, nec fonticulos nec setacea, nec cauteria in fungo articulari prodesse, se vidisse ait, eaqve in ulteriore morbi stadio, ossibus jam affectis, semper detrimentum inferre putat [4]). Moxæ et ferrum candens, etiam ulcere post crustæ delapsum non artis ope sustentato, Pouteau imprimis autore, in fungo articuli commendata sunt. Ipse hæc remedia nunqvam adhibita vidi, omnino vero persvasum mihi habeo, irritationem gravem, qvam non solum in ipsa cute,

---

2) l. c. Pag. 99.

2) Oeuvres posthumes. Tome I. Paris 1783.

3) Russel l. c. Pag. 100-101.

4) Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag 527.

sed etiam in tela cellulosa subcutanea, in qva fungus sedem primariam sine dubio habeat, excitent, perniciosissimam esse, qvippe quum inflammationem jam præsentem augeat. E contrario vero in arthrocace seu chronica inflammatione extremitatum articularium ossium admodum juvant, qvin etiam ad remedia vel potentissima referendæ sunt [1]) — unde manifesto liqvet, distinctionem inter utrumqve morbum, etiam curationis morbi ratione habita, longe maximi esse momenti.

Ad medicamina me iterum convertam, qvorum vis agendi illi, qvam cuti afferunt, etiamsi leviori irritationi debetur, et qvæ absorptionem massæ morbose depositæ adeo promovere valent. Inter ea sunt balnea calida, douche dicta, qvæ Ledran præcipue svadet [2]). Aqva, pro balneo adhibita, tam calida esse debet, qvam æger tolerare potest, et ab altitudine septem vel octo pedum demittenda est; tubus deniqve, per qvem mittitur, diametrum

---

[1]) Cf. Rusts Arthrokakologie, in qvo libro autor multos casus arthrocaces, ferro candente sanatos, refert.

[2]) Cf. Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatriéme. Pag. 514 515.

certe dimidiæ pollicis æqvare debet, unde ad diametrum fere totius pollicis pro varia tumoris sensibilitate progredi potest; immo, si sensibilitas admodum aucta est, in globum, foraminulis multis perforatum, terminatus esse debet. Balneum fere per totam horam applicandum est, qvo facto æger lectum teneat, et regio articuli vesicis tegatur, aqva tepida impletis, qvæ per duas horas aliqvoties commutentur, qvo deniqve tempore elapso, linteo calefacto tegatur, ut sudor adhuc circiter per horam eliciatur. Ita qvoqve vesicæ, aqva tepida impletæ, nonnullis horis vespertinis applicèntur, et ipsum balneum, douche dictum, secundo qvoqve die vel etiam qvotidie adhibeatur. Si solutione salis culinaris vel ammonii muriatici vel alcali cujusdam vel potius aqva sulphurata, naturali aut artefacta, pro balneo utamur, effectus ejusdem eo major erit. Balneorum dictorum loco Russel fomentationes e decocto florum chamomillæ vel salis culinaris tam calidas, qvam æger tolerare potest, ter vel qvater in singulos dies per dimidiam horam applicatas commendat, qvas eundem usum præstare credit; eo fortius vero agemus, si vapores aqvæ fervidæ ad tumo-

rem, qvamdiu æger tolerare poterit, æolipilæ ope perducemus et deinde pannum laneum calefactum illi imponimus — cujus medicationis fructus saluberrimos ipse observavi.

Porro varia qvoqve remedia, qvæ cutem minus irritant, adhibita sunt; ita, qvod Russel multum laudat, pulvis gummi ammoniaci, aceto sqvillitico mixtus et corio illitus; quum vero ea mixtela facile rigidescat et indurescat et sic cuti firmiter adhæreat, freqventer renovanda vel etiam aceto sqvillitico denuo humectanda est. Ubi cutis minoris sensibilitatis est, Rust vel mixtelam dictam vel etiam ungventum e felle tauri, sale culinari et oleo olivarum, super ignem in vesica liqvefactis, panno piceo illitum et deinde in toto articuli ambitu applicatum commendat [1]). Præterea linimentum volatile aliaqve remedia composita et irritantia in usum vocata sunt, vesicatoriis tamen longe postponenda; ita huc pertinet remedium olim usitatissimum, colophonium dico panno piceo illitum et spiritu vini humectatum, qvo etiam cutis irritationem, interdum

---

[1]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Bd. Pag. 577.

sat gravem, subit. Etiam electricitas et galvanismus[1]) in secundo stadio adhibitus est, attamen haud magnum vulgo tulit fructum. Richerand galvanismum tentandum esse vult, si tumor dolorum omnino immunis sit, ipsum vero remedium haud semper impune adhiberi, addit; in uno casu dolores torqventes et intumescentiam articuli inde seqvi vidit[2]); S. Cooper electricitatem frustra adhibitam semper sese vidisse contendit[3]).

Remedium, recentiore præsertim tempore prospero cum successu in usum vocatum, qvod vero absorptioni massæ morbose depositæ ala ratione faveat, compressio est, vel fasciarum vel potius lororum tenuium emplastri gummosi aliusve emplastri adglutinantis ope instituta. Hoc igitur remedium a Cruttwell, S. Cooper, Richerand, Lisfranc pluribusqve commendatum, si ad vim ejus ad alias inflammationes specificas et chronicas, e. g. ostitidem scru-

---

[1]) Cf. Auserlesene Abhandlungen für praktische Aerzte. XI Bd. Pag. 182.

[2]) Richerand. Nosographie chirurgicale. Tome III. Pag. 174.

[3]) Neuestes Handbuch der Chirurgie. Art. "Gelenk. Krankheiten derselben."

phulosam digitorum, impugnandas respiciamus etiam in fungo articuli utilissimum esse haud mirabimur.

Remediis jam dictis interdum nobis contingit ut morbum impediamus, ne ulterius progrediatur; vulgo tamen rigiditas qvædam nec non tumor et debilitas articuli affecti reliqva erit, qvæ mala ut, qvantum fieri potest, avertamus, a balneis vel stillatitiis frigidis vel martiatis vel animalibus, ab articuli per fascias vel emplastra instituta involutione, cæterisqve, qvæ contra anchylosin spuriam adhibentur, remediis auxilium petendum erit. Præterea æger modo tarde et circumspectissime ambulando assvescat, primum duorum fulcrorum ope, postea bacilli, et, ubi causa qvædam occasionalis novam inflammationem partis afflictæ promovet, qvod sæpius fit, mox situm qvietum servet et remedia, inflammationi adversa, iterum adhibeat.

Scriptores nonnulli antiqviores in eo morbi stadio incisionem tumoris adhiberi voluerunt. Ita Heister, ut serum effluat, tumorem incidendum commendat [1]; addit vero haud om-

[1]) Institutiones chirurgicæ. Pars prima. Amstelodami 1739. Pag. 355.

nium fungorum articularium naturam talem esse, qvæ incisionem haud perniciosam permittat. Qvæ vero operatio optimo jure jamdiu omissa est [1]), quum massa deposita, ut supra monstravimus, non talis indolis sit, ut, tumore inciso, effundatur, ipsas vero incisiones inflammationem augere et malam ulcerationem, cui posthac obviam ire vix poterimus, excitare necesse sit.

In *tertio morbi studio* nulla spes sanationis restat et tantum amputatione femoris factâ vita ægri servari poterit. Sunt, qvi hanc operationem in fungo articulari dissvadeant, inter qvos imprimis Syme [2]), qvi, qvo majoribus laudibus excisionem extremitatum articularium efferat, eo iniqviorem de illa fert sententiam. Ita dicit, suppurationem letalem pulmonum vel aliorum viscerum amputationem sæpe seqvi — id qvod nonnunqvam qvidem accidere, experientia probat; tum vero fungus articularis talibus affectionibus simul com-

---

[1]) Cf. Callisen. Systema chirurgiæ hodiernæ. Editio qvarta. Volumen IIdum Pag. 36.

[2]) Abhandlungen über die Ausschneidung krankhafter Gelenke. Chir. Handbibliothek. Vierzehnter Bd. Pag. 11.

plicatus fuit, qvæ dyscrasiam scrophulosam veram sæpe seqvuntur et successui cujuscunqve operationis gravis, aut amputationis aut excisionis articuli, revera obstant. Amputationem, qvia in talibus casibus ægro damnum intulerit, improbari non oportet. Zöhrer sese expertum fuisse ait, morbum ipsam regionem genu excedere et totum systema membranosum femoris occupare, ita ut in tota inferiore dimidia parte femoris massa gelatinosa deposita sit, musculi laxi sint et pallidi, fistulæ varium tractum percurrant, qvapropter etiam femore amputato vulnus vix sanari, sed in ulcus malum mutari [1]). Tales vero casus, qvos qvidem occurrere posse et amputationem ita prohibere non negabimus, rarissime tamen eveniunt.

Boyer amputationem omitti jubet [2]).

a) *si plures articulationes fungo simul affectæ sint.* Qvod si variis extremitatibus ita est, amputatio haud dubie omittenda est;

---

[1]) Monographie der weissen Geschwulst am Kniegelenke. Pag. 75.

[2]) Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 533-34.

si enim morbus in variis locis multum progressus fuerit, pluribus amputationibus opus erit, qvarum seqvelis vires ægri vix pares erunt; et morbus, si in alterutro membro haud eo pervenerit, ut amputationem flagitet, tamen post amputationem membri gravius afflicti cito tales faciet progressus, ut etiam illud membrum auferri necesse sit, qvam vero operationem ægrotus vix poterit perferre. Ubi plures articulationes fungo laborant, *plerumqve* sine dubio totus organismus adeo corruptus est, ut amputatio certo sit rejicienda; si vero acciderit, ut articulationes ita affectæ in una extremitate situm habeant igiturqve una amputatione removeri possint, ad hanc operationem refugiendum esse mihi videtur, *si modo examine accuratissimo nullum signum visceris cujusdam vel aliarum partium affectionis sese præbet;* ita, ut utar exemplis, ubi fungus et genu et articulationem pedis simul occupavit, amputatio femoris, ubi articulatio cubiti et manus simul affecta erat, amputatio humeri cum spe successus fieri potest. Nullum novimus casum, qvo ea opinio nitatur, et facile fatemur, tales casus rarissime accidere;

credo tamen, eos occurrere posse, qvalis casus si mihi occurrerit, amputationem facere haud dubitabo.

b) *si unum vel plura magna viscera simul affecta sint.* Ita haud raro accidit, ut dyscrasia scrophulosa, cui fungus ortum debuerit, affectionem viscerum abdominis vel pulmonum simul afferat; qvod si ita fit, smputationem non solum nulli usui esse, sed etiam destructioni illorum viscerum faventem, mortem accelerarc necesse erit. Nihilominus vero bene notandum est, qvousqve ea viscera affecta sint, nec semper amputatio rejicienda est, qvia æger vel tussi etiam continua vel mala digestione laborat; nam ea parte, in qva morbus primariam habet sedem, cultro oblata et simul iis, qvæ affectioni viscerum faveant, ab ægro remotis, illa mala nonnunqvam qvidem cessare, ipse experientiâ edoctus sum.

c) *si fungus articularis incommodis complicatus sit, qvæ vitio cuidam constitutionali corporis debeantur vel causam, qvæ illum morbum promoverit, in alias partes corporis vim suam exercere indicent* — id qvod tamen regulæ, jam sub b) dictæ, summa pro parte congruit. Dyscrasia scrophulosa

manifesta sæpe, proh dolor! amputationem prohibet, qvanqvam etiam ad gradum, qvo ea dyscrasia morbum affligit, solicite respiciendum est; non omnis tumor scrophulosus nec omne malum scrophulosum simul præsens operationem prohibebit.

Ægrorum trium, in qvibus ob fungum genu amputationem femoris institui, jam supra mentionem feci. Unus ex illis tussi habituali, uterqve alius tumoribus scrophulosis laborabat; omnes vero sanati sunt et proximis post sanationem annis, qvibus valetudinem eorum noscere mihi contigit, bene habuerunt.

Præter complicationes jam dictas, ut facile liqvet, etiam debilitas major, qvam qvæ ægrum operationis seqvelas perferre sinat, ad amputationem prohibendam valebit — id qvod paucis verbis infra commemorabo.

Etiam de opportuno tempore amputationis instituendæ varii scriptores dissentiunt [1]),

---

[1]) Cf. Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatrième. Pag. 531 32.
F. A. Ammon Parallele der französischen und deutschen Chirurgie. Pag. 208-209.
Russel. Ueber die Krankheiten des Kniegelenkes. Uebersetzt von Dr. Goldhagen. Pag 128.

alii operationem maturam, priusqvam malum majorem vim in totum organismum exercuerit, nec vires ægri admodum fractæ fuerint, fieri jubentes, alii vero eam ad summum morbi fastigium, viribus ægri jam perlangvidis, prolatam volentes.

Autores illustrissimi, e. g. Bell, Boyer, S. Cooper, usqve ad ultimum morbi stadium differendam eam svadent, et qvia tum nullum sit periculum, ne membrum, qvod salvum esse potuisset, auferatur, et qvia experientia jam antiqvitatis medicos edocuerit, statum debilitatis qvendam prospero successui graviorum operationum, imprimis amputationum, aptiorem esse, qvam ubi æger viribus nondum fractis gaudeat; nimirum in illo casu reactio non fortior erit, qvam qvæ ad suppurationem bonam movendam et ad vulnus sanandum opus sit, in hoc vero casu justo vehementior erit, ita ut febrem inflammatoriam gravem et inflammationem viscerum sæpius funestam facile efficiat. Ea sententia, qvanqvam qvidem vul-

---

Bell. Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints Pag. 473-474.

garis est, facile nos in errorem ducere poterit, nec freqventer accidere credo, ut vires ægrorum integriores sint, qvam qvæ spem successus prosperi foveant. Amputatio in malis acutis, qvæ eam flagitant, e. g. in contusionibus gravissimis, vulneribus sclopetariis et ita pluribus, ut recentioribus constat, longe majorem spem successus præbet, qvam si in chronicis morbis instituitur; qvin etiam chirurgi recentiores, omnium imprimis experientissimus Larrey, sufficienter probarunt, in vulneribus sclopetariis amputationem, qvo tempestivius fiat, eo sæpius successum habere, et contra, ubi usqve ad suppurationem et febrem hecticam differatur, freqventissime funestam esse. Non negabimus, febrem inflammatoriam, operationes graviores seqventem, eo vehementiorem esse, qvo magis vigeant ægri, in qvibus factæ sint; propria qvidem experientia me ita edocuit, qunm scilicet in ægris, de qvibus supra jam dixi, in qvibus amputationem femoris institui et qvi longa in ergastulo custodia sat debilitati fuerunt, sanationem sine graviori febri consensuali seqvi viderim; ex alia vero parte robustos homines amputationem extremitatis cujusdam facillime perferre sæpius

vidi, nec dubito, qvin inflammatio consensualis viscerum, cui amputati tam freqventer succumbunt, haud metuenda sit, nisi viscera jam ante operationem minus valuerint. Deniqve ubi de fungo articuli sermo est, quum jam diu, priusqvam symptomata vere hectica accedunt, alia signa, morbum sanari neqvire, indicare soleant, vix periculum erit, ne peritus chirurgus membrum, qvod adhuc conservari possit, cultro auferat. Qvam ob rem cum Russel [1]), Rust [2]) et Lisfranc [3]) in eo omnino consentio, qvod amputatio usqve ad vires valde fractas non differenda, semper vero mox instituenda sit, ubi malum tolli haud posse certo prædicere valemus; nisi ita fecerimus, viribus ægri ad suppurationem bonam efficiendam non sufficientibus, sæpius fore credo, ut æger, suppuratione ichorosa orta, ulceribus fistulosis formatis, ipsoqve osse carie affecto, deniqve hectice moriatur. — Fuerunt, qvi labia vulneris, amputatione facta, uniri noluerint, ut suppu-

---

[1]) l. c. Pag. 127.

[2]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Bd. Pag. 578.

[3]) Archives génerales de médecine. Mai 1826

ratio larga affectionem viscerum aliarumve partium averteret. Qvod ita exspectatur, dubito num successerit-haud sane credendum mihi videtur; semper vero ulcus magnum seqvetur, qvod scrophulosam indolem facile induit, sinuositates fistulasqve format et largam affert suppurationem, qvæ vires ægri semper magis frangit ideoqve sæpe funesta fit [1]), qvapropter coalitus labiorum vulneris adeoqve sanatio qvam celerrima ex mea sententia semper præferenda erit. — Rust applicationem fonticuli post amputationem svadet [2]), e qvo autem, ubi periculum est, ne morbus recidat vel aliæ partes afficiantur, ex meo qvidem arbitrio haud magnum auxilium exspectandum est.

Loco amputationis resectio extremitatum articularium ossium proposita fuit, qvæ qvidem operatio longe sæpius in articulatione cubiti qvam in genu facta est, et qvam Park, chirurgus urbis Liverpool, in genu primus instituit in nauta, qvem tumore albo scrophu-

---

[1]) Cf. Russel l. c. Pag. 128.

[2]) Theoretisch-praktisches Handbuch der Chirurgie. Siebenter Bd. Pag. 578.

loso laborasse dicit[1]); spatio unius anni tam bene sanatus est, ut omnia officia, qvæ nauticorum sunt, præstare facile posset (?). Posthac Moreau junior, Champyon, Crampton, Syme nec non plures eandem operationem sæpius, ut refertur, ob tumorem album genu instituerunt. Quum vero, ut vulnus sanetur, maxima partium mollium, articulationes cingentium, pars cultro intaeta relinqvatur necesse sit, eæqve partes, ut supra monstravimus, præcipue afflictæ sint; resectio in fungo articulari facienda nunqvam esse videtur. Syme qvidem, hujus operationis studiosissimus, qvi eam in articulatione cubiti cum optimo successu sæpe instituit, partes molles, etiamsi suppuratione, ulceribus fistulosis aliisve affectionibus laboraverint, paucis tamen post operationem diebus statum integrum et naturalem recuperare contendit[2]); omnibus vero,

---

[1]) An account of a new method of treating diseases of the joints of the knee and elbow in a letter to Mr. Percival Pott. By H. Park of Liverpool.

[2]) Abhandlung über die Ausschneibung krankhafter Gelenke von J. Syme. Aus dem Englischen in Chirurg. Handbibl. Vierzehnter Bd. Pag. 12.

qvi qvalemcunqae certam qvandam medendi vel operandi methodum vindicant, proprium est, ut eam laudibus justo majoribus tollant. Morbi articulationum chronici, in qvibus Park, Crampton [1]), Syme, Roux [2]) resectionem commendant, tumores albi ab iisdem vulgo nominantur; sed, qvod jam in introductione monstrare conatus sum, pleriqve scriptores idem nomen arthrocacen qvoqve significare voluerunt, in qvo morbo sane, partibus mollibus graviter haud afflictis, resectio longe potius indicata erit. In articulatione genu autem eadem operatio tam difficulter fiet et tam gravia, perniciosa et sæpe funesta habebit incommoda, qvæ vulneri magno, læsioni majorum nervorum et vasorum sangviferorum, et suppurationi gravi nec non diuturnæ, necessario seqventi, omnino debentur, ita ut amputatio femoris eidem semper præferenda sit. Qvin etiam si optimum illa operatio habuerit successum, membrum servatum non solum nulli usui, sed etiam incommodo erit, qvia

---

[1]) Dublin Hospital Reports. Vol. IV. 1827. Revue medicale Janvier 1830.

[2]) Cf. Roux. Dissertation sur la resection des os.

femur cum crure vix unqvam tam arcte connectitur, ut æger hoc membro uti possit. Qvatenus resectio in arthrocace cubiti amputationi humeri præferenda sit, non hic locus est explicandi.

In tertio morbi stadio si qvid amputationem prohibet, vel etiam si æger operationem recusat, tantummodo cura palliativa nobis restat, qva ratione præter medicamina, qvæ universalis ægroti valetudo poscit, et narcoticis internis et aut iisdem externis, ubi dolores vehementes topici adsunt, aut emollientibus externis, ubi abscessus in partibus mollibus, articulum cingentibus, formari coeperunt, nos uti oportet. Utrum abscessus, ita formati, artis ope aperiendi sint, necne, variæ fuerunt sententiæ. Bell [1]) et Ruhstrat [2]), ut setacei ope aperiantur, svadent; hic simul addit, contingere forsan posse, ut setaceo per totam articulationem perducto, non solum secretio ichoris in formationem puris boni mu-

---

[1]) A Treatise on the theory and management of ulcers with a dissertation on white swellings of the joints By B. Bell. Pag. 471.

[2]) Abhandlung über die weisse Kniegeschwulst Pag 34

tetur adeoqve ulcera deniqve sanentur, sed etiam articulares ossium extremitates, qvæ setaceo irritatæ callum deposuerint, invicem inter se concrescant et veram anchylosin forment — qvæ vero spes omnino vana mihi videtur. E contraria parte Boyer abscessus, ut sponte rumpantur, aut sibi relinqvi aut, si dolores vehementiores aliud poscant, modo parva punctura, ne aëri ad abscessum aditus pateat, aperiri jubet [1]). Cum eo, licet medicos aëris ad abscessus liberum aditum justo magis olim metuisse putem, eapropter consentio, qvod omnem irritationem tumoris, qvantum fieri poterit, evitandam esse credam. Igitur, nonnisi ubi dolores ægri adeo levari credo, abscessus aperiri volo et deinde, si, specillo per ulcera sinuosa vel fistulosa inducto, ossa cariosa reperiantur, remedia vulgaria topica ad exfoliationem promovendam adhiberi. Semper vero, si in tertio morbi stadio amputationem fieri haud fas est, vel etiam si haud conceditur,

---

[1]) Cf. Dict. des sciences medicales. Tome LVI. Pag. 34.
Boyer. Traité des maladies chirurgicales &c. Tome qvatriéme. Pag. 529.

totam regionem articuli striis emplastri gummosi circumdare volo — qvod remedium, a nostro Fenger [1]) eximie commendatum, in carie profunda, imprimis si in extremitatibus ossium, qvæ articulos formant, sedem habeat, auxilio esse experientia mihi probavit.

Deniqve duarum fungi articularis medendi methodorum, qvæ recentiore tempore a singulis scriptoribus admodum laudatæ sunt, paucis verbis mentionem faciam, cæterum in memoriam revocans, qvod jam in præfatione hujus capitis [2]) dixi.

Alteram ex his methodis Lisfranc nobis commendat [3]), qvæ jam seqvitur:

Ubi fungus articuli acutum habet decursum, largas sangvinis missiones commendat, vel venæsectiones vel repetitam hirudinum applicationem, qvarum numerus viginti — triginta usqve ad qvadraginta singulis vicibus adhibetur; præter has fomenta emollientia svadet, qvæ, si dolores graves præsto sint, tinctura opii humectanda sint, qvo modo morbus in chronicam speciem abeat. Ubi vero morbus jam ab initio chronicus est, hirudinum tamen largam copiam aliqvoties adhibet, ut inflammatio occulta membranæ capsularis tollatur. Deinde hirudinum parciore numero irritandi gratia utitur. Ita duas — sex hirudines tumori imponit et sangvinis effluxum

---

[1]) Cf. Nyt Bibliothek for Læger. 3die Bind No. 1.

[2]) v. supra Pag. 86.

[3]) Archives generales de medecine. Mai 1826. Cf. Bibliothek for Læger. 1827. Forste Hefte.

modo brevi sustinet; qvo modo inflammationem erythematosam oriri credit, qva, absorptionis vi aucta, tumor minuatur ac emolliatur. Qvarto qvoqve vel qvinto die eundem hirudinum numerum adhibet; ubi irritatio justo major fuerit, deinde, ad inflammationem sedandam, sex — octo — decem hirudines applicat, ubi justo minor fuerit, modo duas-tres applicat. Tumore jam mollito, Lisfranc compressionem, a qvinqve ad octo dies continuam, svadet, et, si durities profundior observetur, iterum hirudinum parciorem numerum et deinde denuo compressionem adhibet. Ubi hirudines jam nulli usui sunt, irritantia graviora commendat, imprimis vesicatoria parva, octavo qvoqve die applicata, vel, ubi hæc nil juvent, parvas moxas; tumore adeo emollito, compressionem iterum svadet.

Qvod ad methodum jam dictam attinet, primum id singulare habet, qvod sangvinis missiones solito largiores sunt, qvod theoriæ medicorum Galliæ de inflammationibus curandis omnino congruit. Ut supra jam dixi, hirudinum haud nimis parcum qvidem numerum adhibendum credo, sed tam largum usum, qvam Lisfranc commendat, vires ægri, in fungo articulari haud fortiter vigentes, nimis debilitare persvasum mihi habeo. Deinde cum Lisfranc in eo dissentio, qvod hirudines irritandi gratia ita adhiberi possint. Qvanqvam negare nolo, hirudines paucas, qvotidie vel alterno qvoqve die applicatas, congestionem sangvinis ad partem, cui imponantur, continuam efficere, eam tamen inflammationem erythematosam, qvam Lis-

franc vult, et qvam aliis remediis promovere nos conamur, talem hirudinum usum seqvi, experientia probare mihi haud videtur. Dicta vero methodus, cujus bonum successum viginti tres casus, a Lisfranc relati, probant, ex mea qvidem sententia præcipue monstrat, qvo fructu compressio in curatione fungi articulorum adhibita sit.

Altera fungi medendi methodus, cujus singularem mentionem in hacce dissertatione faciam, a Scott omnibus reliqvis morbi tractandi modis præfertur[1]). Superficies articuli affecti tepida saponis mollis solutione spongiæ ope lavatur et mox rursus detergitur; deinde per sexagesimam vel tricesimam horæ partem usqve ad calorem, ardorem atqve ruborem partis ortum, ope spongiæ, spiritu vini camphorato humectatæ, fricatur, qvo facto striæ linteæ ungvento, ex æqvalibus partibus cerati saponis et ungventi hydrargyri fortioris cum camphora composito, illitæ, toti regioni articuli nec non proximæ parti femoris et cruris applicantur. Aliæ striæ, emplastro plumbi Pharm. Londinensis illitæ, illis superimponuntur, adeo ut vel minimum articulationis motum impediant; qvatuor segmenta coriacea, emplastro saponis illita, applicantur, ita ut unum in anteriore, alterum in posteriore et reliqva duo in superficiebus lateralibus figantur. Deniqve to-

[4]) Chirurgische Beobachtungen über die Behandlung von chronischer Entzündung in verschiedenen Gebilden, besonders in Beziehung auf Krankheiten der Gelenke, von John Scott. Aus dem Englischen in Chir. Handbibliothek. Eilfter Bd. Pag. 83-84.

tus deligationis apparatus fascia, leviter obvoluta, tegitur. Infantibus, qvos ab omni motu membri prohibere difficilius adhuc erit, etiam ferulas ex charta glutinata factas applicat. Cutin in rarioribus casibus, ubi cutis membri affecti incrassata et sensibilitate privata est, anteqvam striæ linteæ, ungvento supra dicto illitæ, applicentur, paululo ungventi stibiati perfricari jubet. Ubi apparatus dictus jam solutus est, alium applicat.

Hæcce methodus, qvæ, ut sponte seqvitur, nonnisi, ubi signa inflammationis acutæ aut desunt aut jam fugata sunt, adhibenda est, partim ab irritatióne cutis eo modo facta, partim ab actione topica hydrargyri et deniqve maxima pro parte a compressione membri affecti ejusqve, adeo involuti, immobilitate perfecta, præstantissimam efficaciam autore Scott ducit. Triginta novem refert casus, in qvibus bono cum successu hacce methodo usus sit; ex meo qvidem arbitrio vix tertia pars eorum ad fungos articulares referenda est; reliqvi casus vel hydarthri vel maxima ex parte arthrocaces species habendi sunt. Neminem esse credo, qvi methodum tam complicatam probet, nec video, qvid boni a tot ungventis, emplastris, fasciis simul adhibitis sperandum sit; cæterum vero et remedia cutem rubefacientia et hydrargyri externus usus et compressio tumoris, ne deniqve de absoluta membri qviete dicam, inter remedia præstantissima supra relata sunt — aliis vero iisqve simplicioribus viis procedere haud dubie præstat.